RELIGIONIS AC PIETATIS
OFFICIA
JUVENTUTI STUDIOSÆ PROPOSITA.

A

P. ANTONIO PASSY,
olim Congregationis sanctissimi
Redemptoris sacerdote.

Tertia editio, admodum aucta et emendata.

AUGUSTÆ VINDELICORUM.
Typis et sumptibus Balth. Schmid.
(Alph. Manz.)

MDCCCLXXIX.



Stahlst. u. v. Carl Mayer's K. A. in Nürnberg

St. Aloysius.

San Luigi.

Verlag v. Carl Mayer's Kunstanstalt in Nürnberg.

RELIGIONIS AC PIETATIS

OFFICIA

JUVENTUTI STUDIOSÆ PROPÔSITA.

A

P. ANTONIO PASSY,

olim Congregationis sanctissimi
Redemptoris sacerdote.

Tertia editio, admodum aucta et
emendata.

AUGUSTÆ VINDELICORUM.
Typis et sumptibus Balth. Schmid.
(Alph. Manz.)

MDCCCLXXIX.

RELIGIONIS AC PIETATIS

JUVENTUTIS STUDIOSÆ

OFFICIA.

HONORI ET NOMINI

SANCTI ALOYSII,

PATRONI

STUDIOSÆ JUVENTUTIS

HOC OPUSCULUM

DICATUM.

Ad editionem tertiam.

Abhinc plus quadraginta annis hoc opusculum reverendus P. Anton Passy, C. S. R., qui et erat et habebatur animo erga adolescentes studiosos amicissimo, primum in lucem edidit. Qui libellus quantopere iis, quibus ab auctore erat destinatus, jucundus fuerit, id argumenti afferri posse videatur, quod nonnullis annis, postquam editus est, omnia exemplaria divendita erant. Quapropter faciendum putavimus, ut alteram curaremus editionem, quam nunc

tertia subsequitur. Itaque accipe, adolescens dilecte, hunc libellum, quo precationes plerumque usitatae nec non praecepta ad bene beateque vivendum aptissima continentur. In novam mutatus formam atque speciem, et ab eo, qui opusculi edendi sumptus fecit, omni, quo par est, literarum chartaeque ornatu expolitus, et ab eo, qui denuo edendum curavit, erratis typographicis ac grammaticis, id quod valde opus erat, expeditus in lucem prodit. Praeterea tanta precationum copia adjuncta est, ut haec libelli editio non solum ornatu sed etiam amplificatione plurimum differat a prioribus, atque novus liber jure appellari possit.

Precibus ss. Missae ex missali Romano depromptis atque compluribus canticis sacris interpretationes Germanae additae sunt, quibus adjectis pergratum nos fecisse adolescentulis existimamus. —

Jam, adolescens dilecte, his pie utere precationibus, quibus ut plurimas divinae caritatis gratias assequaris, animo benevolentissimo exoptamus. Vale.

Aug. Vind, die Pentecostes festo 1879.

P. Th. K.

Index.

Preces vespertinae.

Preces sub ss. missa 54

Preces missae, quae a sacerdote recitantur

Die Messe, wie sie vom Priester gebetet wird 76

De confessione.

De communione.

Vesperae dominicariae.

Exercitium ad dies dominicos celebrandos.

Exercitium pro diebus festis.

Litaniae plerumque usitatae diversaeque preces.

Hymni sacri cum interpretatione Germana.

Officium immaculatae Conceptionis Beatae Virginis

Corrigenda:

Pag.	65:	Adoro	pro	Adore.
„	154:	Malo	„	Molo.
„	248:	Exaltata	„	Exultata.
„	„	choros	„	chorus.

Ad studiosum adolescentem.

O quisquis primo viridis sub flore juventae
Tendere in expertum quaeris in orbe gradum,
Ingenuasque animum properas adpellere ad artes,
Queis tu cumque vales viribus ingenii:
Audi agedum, facili quae mox ego prodita versu
Constitui mentem praemonuisse tuam.
Heu nimis infausto vitam traducimus aevo!
Non datur ad metam currere tuta via!
Ni caveas, suprema manent mala; ubique locorum
Sub pedibus latitant mille pericla tuis.

Tartareus raucis circum rugitibus hostis,
Ceu leo, te rabido dente vorare furit.
Nec tantum secli jubar exitiale protervi
Te scelerum exemplis allicit omnigenis:
Sed malesuada, tuis penitus concreta medullis,
Te prona in vetitum lege cupido trahit.
Tanta igitur longo quum sint discrimina cursu,
Quî poteris mediis te eripere insidiis?
Perlege, quod parvus praestat tibi cumque libellus:
Hinc tua, si sapias, certa erit usque salus.
Perlege; nempe tuos prodit devotus in usus
Securoque docet quo gradiare pede.

Dictamina coelestis philosophiae.

Duo sunt fines hominis, bonus et malus, bonorum et malorum.

In alterutro esse necesse est; medium non datur. In bono sis, a malo cave.

Unum est, quod agas necessarium: nempe quod Maria elegit, quod a te non auferetur, quo beata efficitur anima.

Si quem odisse hostem vis, te oderis; nullum isto salubrius odium; nullus tibi hostis te pejor est.

Si te recte amare cupis, odisse incipe. Nam qui amat animam suam, perdet eam, et qui perdiderit illam, in vitam aeternam custodit eam. Christus per omnia assimilatus est tibi; cura ut tu vicissim illi te assimiles.

Haec summa hominis gloria est: Deum sequi; haec summa opulentia: Deum sibi debitorem facere.

Quid tibi in mundo quaeres, qui mundo major es?

Quidquid Deo in te displicet, sine mora auferendum.

Omnia tua bona vis habere; inter tot bona, cave, ne tu solus malus sis.

Ante omnia vero oportet bonus esse velis.

Quid hominem times? solus Deus esse timor noster et amor debet.

Deus ubique et auris est et oculus.

Omnia uti Deus vult, tu quoque velis: velle melius non potes: nec a summo bono venire malum potest.

Semper spem tuam pone in Deo, qui et auxiliari vult, quia bonus,

et scit, quia sapiens, et valet, quia omnipotens.

Si terram diligis, terra es: si temporalia, transibilis cum tempore.

Momento stat aeternitas: momento lucrifieri aut perdi potest.

Unum momentum semper nos habere sollicitos debet, mortis scilicet bonae. Sed hoc a vita dependet bona.

Vix potest mori bene, qui vixit male.

Aeternitati thesauriza et coelo.

Quidquid opum aliunde collegeris, nihil tecum hinc auferes.

Divitias Veritas dixit spinas esse: ne te pungant, noli cor apponere.

Mundus et ca·o vocant te, et sequeris: vocat te Veritas, et non sequeris? ausculta Veritatem, ut non audias vanitatem?

Uti malum nullum poena vacat,

ita bonum nullum mercede carebit: cur ergo laborare non satagis?

Quid? homini servis, Deo non servis? nempe aliis prodesse vis, nocere tibi.

Diligendi proximi mensuram ex te cape: quae vis ut faciant tibi homines, et tu facito illis.

Nihil amore est pretiosius, quo coelum emitur: summa ergo prodigalitas aut vana amare aut noxia.

Frustra quaeris, quodnam horum majus sit, utrum abstinere, an sustinere, quando utrumque homini est necessarium.

Nolo, Deum timeas, si amare potes: si amas, times.

Mundum times: o vanam formidinem! Deum non times, o summam vesaniam!

Quid tibi cupis in saeculo, qui major es mundo? Ideo nihil tibi satis est, quia, cum omnia minuta

sint, solus animus tuus est vastissimus et unius Dei capax.

Noli velle dividere cor tuum, quasi Deo partem et mundo daturus: non potes duobus dominis servire; nec legitima haec est partitio, ubi Deus vult toto corde totisque viribus diligi.

Institutio christiana.

Symbolum apostolorum. Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum. Sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem. Remissionem peccatorum. Carnis resurrectionem. Vitam aeternam. Amen.

Oratio dominica. Pater noster, qui es in coelis! Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen.

Salutatio angelica. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui, Jesus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

Praecepta caritatis. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.

Decem Dei praecepta. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis.

1. Non habebis deos alienos coram me.
2. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum; non enim habebit insontem Dominus eum, qui assumserit nomen Dei sui frustra.
3. Memento, ut diem sabbathi sanctifices.
4. Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram.
5. Non occides.
6. Non moechaberis.
7. Non furtum facies.
8. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.
9. Non concupisces uxorem proximi tui.

10. Non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum et universa, quae illius sunt.

Praecepta ecclesiae. 1. Statutos ecclesiae festos dies, ab operibus servilibus abstinendo, celebrare.

2. Sacrum missae officium diebus festis reverenter audire.

3 In quadragesima, quatuor anni temporibus et vigiliis secundum morem ecclesiae jejunare, feria sexta et sabbatho a carnibus abstinere

4. Peccata sacerdoti approbato idque saltem semel in anno confiteri, et sacrosanctam Eucharistiam circa festum paschae sumere.

5. Diebus interdictis nuptias non celebrare.

Opera misericordiae spiritualia. Docere ignorantes, corrigere peccan-

tes, consilio juvare indigentem, consolari afflictum, ferre patienter injurias, remittere offensam, orare pro vivis et defunctis et pro persequentibus nos.

Opera misericordiae corporalis. Pascere esurientem, potare sitientem, recipere hospitem, operire nudum, visere infirmum et carcere detentum, redimere captivum, sepelire mortuum.

Beatitudines. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

Beati, qui lugent, quoniam consolabuntur.

Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.

Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum.

Septem peccata capitalia. Superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia.

Quatuor novissima. Mors, judicium extremum, infernum, regnum coelorum.

Septem ecclesiae catholicae sacramenta. Baptismus, confirmatio, Eucharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo, matrimonium.

Virtutes theologicae. Fides, spes, caritas.

Virtutes cardinales. Prudentia, temperantia, justitia, fortitudo.

Dona spiritus sancti. Sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, timor Domini.

Fructus spiritus sancti. Caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.

Remedia pravae consuetudinis, vel cura peccati exterminandi.

Confessarius stabilis. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur.* Ps. 28.

Aeger, si ejus arbitrio relinquatur, medico quo volet utendi, profecto non obvium quemque de trivio, sed in arte medendi peritissimum eliget. Non minor de animae cura habenda est sollicitudo, utpote cujus et pericula graviora sunt et cura longe difficilior. Ideo, dum tibi delectus permittitur, certum et stabilem tibi delige confessarium, cui tuto animam, id est, id quod habes pretiosissimum committere possis.

Eligendus autem is est, qui non solum absolvat sed etiam prosit; qui non tantum judicem sed et medicum agat. Virum suadeo insigniter spiritualem, prudentem, Deo unitum, ut sperare possis eum specialem a Deo habiturum gratiam animas dirigendi, quam non quilibet habet. Ars enim artium est regimen animarum.

Nec satis est eligere talem, qui sciat, sed etiam qui velit tui curam suscipere. Sunt enim, qui cum certo hominum et animarum genere libentius agant; vel certe aliis distenti operam tibi suam locare non possunt, aut etiam ex rationibus sibi notis non volunt.

Non quilibet quadrat pro quolibet. Christus Saulo Ananiam designavit e pluribus. Non est dubium, quin, sicut suum cuique Deus angelum custodem designavit, sic etiam respectu tuae

animae majorem uni confessario sit prae altero daturus assistentiam.

Ut tibi aptum eligas, primum orandus est Deus, ut te ad talem dirigat; attende animum tuum, quo te ferat; aliorum etiam consilium licebit petere; tandem rerum omnium magistra experientia te docebit.

Ubi certum elegeris, conare illi totus esse notus, si fieri potest, etiam de tota vita; deponenda hic omnis verecundia; opta illi ita notus esse, sicut es ipse tibi; tanto te juvabit certius, quanto intimius noverit; expedit illum scire, te velle constanter ab se dirigi; quod ut melius fiat Deum ora, ut te per illum dirigere velit.

Talem animae arbitrum Dei loco habe; ab illius consilio ne recesseris; ad illum in dubiis et

difficultatibus animae omnibus recurre.

Crescit quidem difficultas, si eidem iteratos lapsus velis confiteri (quamquam pudere non decet, cum quis velit fieri melior); si tamen instet verecundia, cogita, hanc ipsam tui victoriam partem esse satisfactionis pro peccatis, esse meritum, quo majorem a Deo gratiam pro emendatione peccati sperare possis.

Absolvi vult, non vult emendari, qui stabilem confessarium adire timet. Audiat deditus carnis vitio, doctissimi e Soc. Jesu Card. Toleti judicium; „Est vitium hoc difficillimum emendationis, ut crediderim, maximam partem damnatorum esse ob hoc peccatum in inferno. Vix puto esse aliud efficax remedium, nisi frequentissimam eamque cum uno eodemque confessario confessionem, ut fiat

ter in hebdomada, si fieri possit, et qui hoc remedio non utitur, non sibi promittat emendationem, nisi per miraculum aut rarissimum privilegium." Ita ille, ita experientia.

Qui circumeunt per templa, variant confessarios, si boni sunt, facilius seducuntur; sin mali, rarius emendantur. Saepe, quos Dei timor non continet, deterret a scelere confusionis memoria, quam subire debent apud suum confessarium.

Haec ita accipe, si per accessum ad eundem non est periculum, aliquid ex verecundia omittendi; alias enim praestat alteri ignoto confiteri, quam confitendo peccare.

Frequens confessio et communio.
Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Ps. 22, 5.

Omnium tam ordine dignitatis, quam utilitatis ad peccatorum emendationem ex ascetarum consilio primum remedium est: frequenter confiteri et communicare; nec defuerunt, qui dixerint, inveteratum peccatorem nisi hoc remedio rite utatur, absque miraculo non posse malo suo liberari. —

Mala etiam corporis ad sanitatem inclinant, si ex abdito prorumpunt; nisi ejiciatur virus, occidit: spiritualis vero medicina non sanat malum, quod ignoratur. SS. Eucharistia, cum infinitam in se contineat sanctitatem, depravatam naturam facile corrigit; intellectum ad supernaturalia elevat, voluntatem sanctis desideriis implet; frangit vires cupiditatis.

Serio se emendare cupienti utilis praeprimis foret confessio de tota vita generalis: tum quia periculum est, multas confessiones

ab inveterato absque dolore sufficienti aut proposito esse factas, tum ut multitudine scelerum simul visa ad generosiorem sui peccati victoriam moveatur; denique ut confessario status ejus magis innotescat meliusque dirigi possit.

Quoties frequentanda sint haec sacramenta, difficile est definire; sunt, qui inveterato ternam per hebdomadam suadent: tutissimum erit, animae tuae arbitri consilio hac etiam in re uti Aliorum consilium in eo versatur, ut inveteratus serio quaerens emendationem secum statuat, quamprimum confiteri stabili suo confessario, cum familiare sibi peccatum commiserit, ut viginti quatuor horas elabi non sinat, quin animam expiaverit.

Semel quippe lapsus, nisi cito expiatur, gratia Dei privatus fa-

cile labetur saepius, sicque roborata consuetudine difficilior fiet emendatio.

Ne aliis frequentia confessionis innotescat et inde ansa suspicandi detur, confer cum confessario, quomodo res haec institui possit, ne in aliorum notitiam perveniat, aut ut eum privatim convenire possis.

Illud observa, ne frequentia haec adeundi sacramenta fiat quasi ex consuetudine absque debita praeparatione aut reverentia; sic enim mirum non foret, si minorem expectatione fructum inde referres.

Medicinam, si nihil effecit, aegroto nocere medici existimant: pariter si sanctissima haec sacramenta, quae in morborum nostrorum antidotum a Christo sunt instituta, effectu suo frustrentur, periculum est, ne plus obsint, quam prosint.

Fuga occasionis. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Eccl. 3, 17.

Ubi aër pestilentia infectus est aut contagiosus aliquis morbus grassatur, qui ab eo sanus esse cupit, mature fugiat est necesse; tanto securior, quando remotior. Vitia etiam nolentibus adhaerent.

Nihil sane imprudentius, quam eorum ratio, qui, sibi persuadentes, neque velle ardere neque arsuros se, libenter ignes accedunt, immo etiam medias in flammas se ingerunt! Quid pessimos concupiscentiae ignes in te hactenus accenderit, tu nosti optime; nisi locum pestiferum fugias, ardebis iterum, iterum peribis. Quod olim Arsenio in Theodosii aula versanti dictum, tibi repeti existima: Arseni, fuge et salvaberis!

Novissimorum memoria. *Utinam saperent et intelligerent ac*

novissima providerent. Deuteron.-32.

Nullum contra omnia peccata vitandi remedium est certius, quam quod spiritus sanctus Eccl. 7. praescripsit. „*In omnibus operibus tuis memorare novissima tua et in aeternum non peccabis.*“ Perpetuam horum nobis cupit inesse memoriam atque eam omnibus operibus nostris vult adesse.

Ex frequenti novissimorum memoria sacro illo Dei timore et amore imbuemur, ut mala omnia fugere et, quidquid potest manus nostra boni operari, exercere doceamur. Quorum recordatio saepius iterata eas intellectui et phantasiae species imprimet, quae turpibus imaginationibus, id est, primis ad peccandum ducibus locum non relinquent.

Certa docuit plurimorum ex-

perientia, eos qui in profundum peccatorum venerant annisque compluribus luto huic inhaeserant, postquam frequenter de morte, de inferni poenis et gaudiis vitae aeternae cogitarunt, eo brevi pervenisse, ut quodammodo impossibile esse peccare dicerent.

Si tentaris, si periculum tibi lapsus imminet, sine consilio nihil resolve: quatuor consiliarios, mortem hinc, inde judicium colloca, hic infernum, coelum ibi constitue, praesidem his aeternitatem adde; propone quaestionem, quid te facere oporteat in hoc tempore? exquire haec: o mors, quid sentis? hocne faciam? si praesens mihi adesses, quid suaderes? et sic de reliquis, neve dubitaveris quin sanissima tibi ab his suggerantur consilia.

Quotidie aliquid de uno ex

novissimis cogitare si in usum induxeris, saluberrimam contra vitia omnia habebis medicinam. Juvat etiam libros de novissimis legere aut de his frequenter discurrere, coemeteria adire, funera concomitari.

Mortificatio. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Rom. 13.

Ut caro, nisi saliatur, vermes, terra, nisi aratro exerceatur, spinas et tribulos, aqua sine motu bufones generat: sic corpus humanum, sensualitati suae relictum, ad quid nisi ad ea, quae naturae sunt divinaeque legi contraria, te inclinabit? equus sine flagro et recalcitrat et est petulans.

Perpetua tibi cum carne et sanguine lucta; castitas non cessat bellare; magno labore stat

castitas; hostis, qui te impugnat, blandus est, subdolus, proximus; huic si blandiris, si eum non hostiliter tractas, periisti. Vide sanctorum exempla: Benedictum inter spinas; Franciscum in nivibus; in aqua gelida Ignatium; et quotquot castitatem volebant intaminatam servare, crucifigebant carnem cum vitiis et concupiscentiis suis; mille illam modis affligebant, ut rationi et spiritui subjicerent.

Morbi graves leni medela non curantur; amaris persaepe potionibus, ferro, igne opus est, ut malum extirpetur. Tibi hoc dictum crede, inveterate! grande tibi adest malum, grande periculum; levi manu non curabitur; severitate opus est; -- opus est Paulino proposito: Castigo corpus meum et in servitutem redigo.

Arbor, quae pluribus annis crevit et profundas egit radices, im-

belli manu non extirpatur; frustra vellicas! non evelles, ferro hic opus est, opus est valido neque uno ictu.

Recogita, quas hactenus peccatis tuis poenas sis meritus, quando vel unum aeternis poenis non satis expiatur? Si nolis proinde severius a strenuo judice castigari et in hac et in altera vita, tu tibi sis judex, idem reus et vindex; castiga te, ne castigeris.

Cultus Marianus. *Filioli! haec peccatorum scala; haec mea maxima fiducia.* S. Bernard.

Si omnia nos Deus habere voluit per Mariam, si eam ipsum inter et hominem opitulatricem et communem in rebus patronam et advocatam divina providentia constituit: nonne et vitii, quod extinctum cupimus, emendationem ejus interventu nos obtenturos tuto confidere possumus?

Contrivit nempe illa statim in primo conceptionis suae momento caput serpentis infernalis, nunc quoque opitulatrix contra illum aderit. Nec ulla in re libentius pro clientibus suis agit Maria, quam cum eorum puritas periclitatur.

Nec potestas illi deesse potest nec voluntas. Potentissima illa est apud Filium omnipotentem. Quid enim mater a filio, et talis mater a tanto talique filio impetrare, immo suavissima violentia extorquere non possit? sed et mater nostra est eaque mater gratiae, mater misericordiae, quo nomine gloriari non poterat, nisi miseris et peccatoribus clementia sua promptissime subveniret.

Nec ulla in re certius Mariae patrocinium, quam cum ad amoliendum e cordibus humanis peccatum invocatur; quanto enim

magis illa dolet Unigenitum peccatis denuo crucifigi, tanto occurrit promptior, ut quidquid in anima iniquitatis latet absconditum intercessione sua quantocius eluatur.

Immaculata in conceptione; nulla unquam in ea vel umbra peccati: virginitas intemerata, quam prima ex omnibus creaturis Deo vovit; nec Mater Dei fieri voluisset, nisi virginem se manere posse ab Angelo didicisset. Mater haec purissima nonne ad clientum suorum puritatem a sordibus omnibus emaculandam opem suam promptissime suppeditabit? Quos amat, vult puritatis esse eos amantes et aliis auctores; quod ut impetres:

Mariam ama, sed tenere, sed constanter, sed ardenter; amorem, ne otiosus sit, operibus testare. Affectus in eam licet boni

steriles tamen sunt, facile intepescunt, nisi pondus iis addat operatio. Nulla cultus illius industria magis ei quam virtutum ejus imitatio placet; quas inter velut regina eminet virginitas, ut scias, nullum te carius illi praestare posse obsequium, quam si tuam ejus puritatis imitatione quam maxime servas illibatam; haec te clientem, haec dilectum, haec Mariae filium efficiet.

Si Daemon aliquam puritati tuae labem inspergere laborat, ut parvuli, si terrentur, solent, ad tuae matris sinum te reconde, ibi humili affectu, spe tamen viva opis illico adfuturae ingemina; „Per sanctissimam virginitatem et immaculatam conceptionem tuam, purissima virgo! emunda cor, corpus et animam meam!“

Si Deiparam sincere amas, indonatam non adibis. Nolo libera-

litati tuae modum ponere; habes indubie preces, quibus eam in dies veneraris; statuisti, quot in ejus pervigiliis aut sabathinis diebus mortificationes ejus honori offerre velis; quae ejus templa adire, quas colere imagines decreveris, tibi notius est. Munus suadeo, quod et Mariae prae reliquis carum et executione facillimum est, nempe ut coram ejus icone procidens, diebus singulis hos oculos, has aures, hanc linguam, has manus et cor istud, quae tibi Deus contulit, Mariae honori immoles in holocaustum, ut nec oculi, nec aures, nec lingua, nec manus, nec cor quidquam admittant, quod Marianae puritati adversari et displicere possit.

Praesentia Dei. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet e laqueo pedes meos.* Ps. 24, 15.

Quod Josephum illum veteris testamenti a peccato praeservavit, cum diceret: quomodo possum hoc malum facere et peccare in conspectu Domini? idem hodie etiam efficacissimum est et plurimos a lapsu, in quem proruerent, praeservat, nempe divinae praesentiae recordatio.

Deus enim timendus est in publico, timendus in secreto; si cubile intres, videt te; si cum aliis versaris, videt te; si peccare vis, quaere, ubi non viderit te, et fac, quod vis. Magis tibi praesens intimiorque Deus est, quam tu ipse tibi: Deus enim ubique est, totus toto mundo et totus in qualibet ejus parte etsi minutissima.

Quanta pars peccatorum tolleretur, si peccaturis testis assisteret? Assistit ubique Deus, et quod tu coram viro honorato aut moderatore tuo committere non

praesumeres, quomodo audeas coram Deo tuo? Si certus esses acta tua singula moderatori tuo propalanda, quam sollicite circumspiceres, ne quid ageres, quod eius notam mereretur! Novit omnia Deus, et nihil est ab oculis ejus absconditum.

In alterius praesentia et in faciem aliquem offendere, gravissimus hominis sic offensi contemptus est, qui certissimam meretur indignationem: id tu facis, quoties peccas, licet te solum esse credas aut in profundas te tenebras abscondas.

Nec tantum peccati tui spectator est Deus, sed hortator, ut vincas; praemium affert idque sempiternum; si consentias, minatur infernum. Si miles a duce spectatur, alacrius pugnat, spe laudis consequendae robur omne exserit, ut vincat: nos cum carne

et Daemone luctantes spectat Deus, intuentur angeli; hortantur hi, ille etiam juvat ad victoriam. Eleva in coelum oculos et praemium specta, quod Deus vincenti praeparavit. Laqueos diaboli facile evadit in terris, qui semper oculos habet in coelis.

Examen particulare. *Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti.* Job. 9.

Modus vitium aliquod emendandi efficacissimus visus est S. Ignatio constans usus examinis particularis; non quod usus hic immediate et quasi uno ictu malum omne tollat, sed quod successive, si rite fiat, omnino emendat. Praxis illius est:

1. Mane persolutis precibus aliis firmiter tecum statue, saltem usque ad tempus prandii, vitium quoddam singulari cura

et diligentia vitare opemque divinam ad hoc pete.

2. Per diem saepius, minimum singulis horis, idem propositum renova cum aliquo fervore.

3. Si forte contra propositum tuum deliqueris, statim manu pectori admota de lapsu dole ac propositum renova; quod etiam aliis praesentibus nec tamen advertentibus fieri potest.

4. Ad fervorem augendum utile est, patronum aliquem deligere, qui ea virtute, quae vitio a te extirpando est contraria, maxime excelluit, ut ejus apud Deum intercessione te celerius emendare possis.

Materia talis examinis potest esse omne id, quod velis emendatum, tanto tamen erit efficacius, quanto actus, quem vitare

proponis, fuerit magis particularis: velut si vitium aliquod puritati contrarium velis emendatum, seligere poteris aliquem ex sequentibus actibus. 1. Non intueri fixe formas teneriores. 2. Nullum verbum procax aut minus pudicum dicere. 3. Ad similes aliorum discursus non subridere. 4. Nullum etiam joco tangere. 5. A non necessario sui tactu vel aspectu cavere. 6. Omnem incidentiam turpem illico ejicere. 7. Otium omne, maxime mane in lecto, cavere etc.

Occupatio honesta. *Qui sectatur otium stultissimus est.* Proverb. 12.

Ut laboribus omnia comparari, sic etiam continentia et vitae integritas illibata conservari potest. Quanto quis honestis laboribus et occupationibus magis est distentus, tanto erit a periculis puritatis

magis remotus. Experientiam hic testem appello, uti et sanctorum patrum vulgatum axioma: „Diligentem vix ab uno daemone tentari, cum interim desidiosus a centenis ex orco submissis daemonibus fatigetur."

Otium cum sit pulvinar diaboli. in eo suavissime quiescit, neque id otiosus: nam pravas identidem suggestiones ingerere, phantasiam turpibus imaginibus replere, naturam tanquam in foedus vocatum ad illicita excitare, impuras denique flammas accendere non cessat.

Ubi mens seriis occupata est, nec daemon ibi locum, nec foeda species spatium, nec natura tempus ad illicita invenit, sicque anima plena pace tentationum omnium expers vivit et negotia sua prosequitur.

Nec illud tamen solum tu crede otium dici, quando quis nihil agit,

ab omni actione vacuus inaniter tempus perdit, sed et is in otiosorum catalogo reponendus est, qui non agit, quod debet. Licet proinde per diem totam cursites, omnes domus angulos loquacitate impleas, lusites bonasque horas jocis nugisque impendas, otiosus es, si haec absque fine praefixo, sine fructu intento et absque gravitate agis. Quanta vitae pars elabitur nihil agentibus, quanta male agentibus!

Age, quod agis, alias nihil agis. Licet legas, literis vaces, ores, si haec non serio, non cum debita mentis applicatione agis, otio indulges; neque enim studes, sed otiosus in libros incumbis; non tam legis, quam librum lustras et volvis; non tam oras, quam labia moves, id est, tempus inutiliter perdis.

Quamquam otium nunquam ca-

ret suo periculo, sunt certa tamen tempora, quae plus secum periculi trahunt. Maximo periculo tempus est matutinum, cum excusso jam magna ex parte somno, sicut porta in cardine, ita huc et illuc piger versans se in lectulo et oscitans hosti materiam praebet ad tentationes. Adest enim hic vere praecursor diabolus, Lucifer matutinus et diei primitias sibi decerpere et lucrari satagit, cum desidiosum et semisopitum ad pessima quaeque sollicitet.

Si otio jungitur curiositas, ea ad illicita pondus addit, quantum ignis ignibus additus flammas juvat. Si per fenestras, nihil agens, prospectas, quaecumque obvia fiunt, lustras, fora omnia et compita oberras aut in triviis consistendo te cuilibet facis facilem: quid aliud expectes, quam quod volucribus accidit, quae, dum late ubique

circumvolitant, omnia lustrant, praeda fiunt aucupis sive in laqueos incidunt sive visco inficiuntur.

Si quaeris, quid tibi agendum sit, audi: nunc lege, nunc ora, nunc ambula, scribe, labora; sic erit hora brevis, sic labor ipse levis. Fac ut diem tibi partiaris; nihil casu, omnia fiant consilio. Nulla sit occupatio statui tuo conveniens, quae constitutam horam non habeat. Si literarum studiosus es, quid tibi agendum sit, ignorare non potes. Quo majorem operam quis in studiis collocat, eo melioribus fere moribus est. Ne particula quidem diei his abit absque fructu. O si pretium temporis magni aestimare, quidquid horarum in nostram utilitatem convertere sciremus, quam securi essemus a peccandi periculis!!

Preces matutinae.

Adoro te, sanctissima Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus! tres personae, unus et solus Deus.

Gratias ago clementiae tuae, omnipotens et sempiterne Deus, fons bonorum omnium, quod me indignum hac nocte conservasti et ad hujus diei principium incolumem perduxisti.

Credo firmissime, paratus, mille vitas profundere in contestationem omnium eorum, quae nobis in sacra scriptura revelasti et per ecclesiam tuam credenda proposuisti.

Omnem spem meam in te colloco, et quidquid possum habere boni sive spiritualis sive corporalis, et in hac et in altera vita

totum desidero, spero et volo consequi a tua manu, Deus meus, vita mea et unica spes mea!

Consigno tibi hodie et in perpetuum corpus et animam meam, omnes vires meas, memoriam, intellectum, voluntatem et omnes sensus meos. Protestor, me non consentire neque consensurum unquam, quantum in me est, in ullam rem, quae fiat vel cum minima offensa tuae divinae majestatis. Propono firmissime, impendere omnes facultates ac vires meas ad servitium et gloriam tuam. Paratus sum suscipere, quascumque adversitatis mihi paterna tua manus immiserit. Vellem me totum impendere ac procurare, ut ab omnibus tibi serviatur atque omnes homines te glorificent et ament Deum creatorem meum. Gaudeo de tua aeterna felicitate et exulto de tua tam magna

gloria in coelo et in terra. Gratias tibi ago infinitas pro innumeris beneficiis, quae mihi et toti mundo collata sunt et in dies incessanter a beniguissima tua providentia conferuntur.

Amo tuam infinitam bonitatem propter se ipsam ex toto affectu cordis et animae meae et vellem, si possem, amare eam amore, quo te amant angeli et homines justi, cum quorum amore conjugo imperfectissimum amorem meum.

Offero divinae majestati tuae in unione meritorum passionis, vitae et mortis Christi, beatissimae semper virginis et omnium sanctorum nunc et semper omnia opera mea.

Volo omnino participem me facere, quantum potero, indulgentiarum per actiones hujus diei, et illas applicare per modum suffragii pro animabus purgatorii.

Volo etiam omne illud, quod possum, offerre in poenitentiam et satisfactionem meorum peccatorum.

Deus meus, cum tu sis infinite dignus amore et servitio, doleo, quam maxime possum, de omnibus meis peccatis illaque detestor supra omnia alia mala; peto humillime veniam et firmissime propono, nunquam offendere tuam bonitatem in aeternum, o amabilissime Deus!

In tua vulnera me projicio, o Jesu! ibi me absconde et defende hodie, et semper et quamdiu mihi largiaris gratiam vivendi atque amandi te in aeternum. Amen.

Jesus, Maria et Joseph, vobis dono cor meum et animam meam. Amen.

Formula intentionis.

Omnipotens Deus, tua me hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinem peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam mea procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera, quae omnia et quiquid adversi hodie patiar, tibi ex amore offero in unione intentionis ac meritorum Christi, Deiparae et omnium sanctorum.

Matutina oblatio sui ad beatam virginem.

O domina mea, sancta Maria, in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam et sinum misericordiae tuae hodie et quotidie et in hora exitus mei animam meam et corpus meum, omnem spem et consolationem meam, angustias et miserias meas, vitam et mortem meam, o mater mea, committo ut

per tuam sanctissimam intercessionem et merita omnia mea dirigantur opera secundum tuam tuique filii voluntatem.

Per sanctam virginitatem et immaculatam conceptionem tuam, purissima virgo, emunda cor et carnem meam, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Oratio ad sanctum angelum custodem.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna hodie illumina, custodi, rege et guberna. Ego te patronum veneror, custodem amo ac tibi trado me gubernandum. Ne ergo me quamvis ingratum deseras, sed benignus errantem dirigas, ignorantem erudias, jacentem erigas, afflictum soleris, periclitantem liberes, denique ad aeternam felicitatem perducas. Amen.

Ad sanctum patronum.

O sancte patrone, cujus nomen mihi in sacro baptismatis fonte inditum est, intercede pro me ad Deum, ut mihi per hunc quoque diem gratiam impertiat te sequendi tuasque imitandi virtutes. Velim aliquando tibi consociari et in aeternum tecum Deum laudare et praedicare! Amen.

Potes hic pro devotione tua ex precibus, quae inferius positae sunt, unam alteramve eligere velut ad patronos aut certis temporibus assignatam.

Preces vespertinae.

O clementissime Deus, creator, protector, redemptor! Gratias ago tibi pro omnibus corporis et animi donis et beneficiis hodie in me collatis: pro cibo potuque, pro omni literarum institutione, pro auxilio tuo et omnibus gratiis, quibus per hunc diem valui ad vitanda multa peccata. Utinam omnia et singula hodie effugissem, quibus tu, optimus maximus, offenderis! Utinam semper gratiae tuae respondissem: Illumina mentis meae tenebras, ut et peccata commissa et negligentiis meas intelligam et detester!

Hic conscientiam tuam scrutare:

Num mane preces devote, attente, pie feceris?

Num interfueris ss. missae sacrificio

non corpore tantum, sed etiam mente et animo?

Num diligenter et cum intentione, Deo placendi, studueris?

Num cogitationes tuae, verba, opera fuerint ejusmodi, quin Deum offenderint?

Num proposita confessionis novissimae memineris et persecutus sis?

En domine, quid retribui tibi pro omnibus, quae retribuisti mihi, nisi peccata, negligentias, animum beneficiorum immemorem! Intimo in corde doleo peccata mea; poenitet me, quod te offendi, non ideo solum, quod post mortem a te puniri promerui, sed quia tantopere inobediens fui et ingratus erga te, summum dominum meum et benefactorem maximum! Erravi sicut ovis, quae periit. Respice in me et miserere mei. Ignosce, o Deus, per passionem et mortem dilectissimi filii tui domini mei Jesu Christi, per merita sanctae virginis Mariae et omnium sanctorum!

Ecce, mi Jesu, in te posita est omnis spes mea. Te supplex oro, ut omnia delicta mea sacratissimo sanguine tuo immergas tuisque infinitis meritis compenses, quidquid dolori meo et satisfactioni deest; tu enim es propitiatio pro peccatis nostris. Detestor omnia peccata mea mihique propono per tuam gratiam, et odio habere in posterum quodlibet peccatum, et fugere omnes peccandi occasiones et adhibere ad relapsum cavendum res necessarias. Mori malo, quam te offendere!

Vos vero, o sancti patroni, inprimis virgo mater, et tu, angele custos omnesque coelites, qui indefesse laudatis Deum, vos mei curam agite et Deo me commendate, ut protegar ab insidiis hostium meorum, qui nobis dormientibus semper vigilant parati ad nocendum. Sit Deus adjutor

et protector meus et nulla mihi diversitas nocere poterit.

Pax Domini mei Jesu Christi, virtus sanctissimae passionis ejus, signum s. crucis et titulus triumphalis: Jesus Nazarenus rex Judaeorum, integritas quoque beatae virginis Mariae et custodia sancti angeli mei sint inter me et omnes mihi infensos spiritus, ut post castam et intemeratam quietem matutino tempore sine mora surgens creatori meo debitas laudes referre et officia mea alacriter obire possim. Amen. — Pater noster etc. — Ave Maria etc. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

Cum lectum subis, crucis signo te munias, dicens:

In nomine domini mei Jesu Christi cubitum eo, qui me pretioso sanguine suo redemit, ille

me benedicat, regat, custodiat hac nocte et ad vitam perducat aeternam. Amen.

Deinde pollice scribe in fronte tua has quatuor literas: J. N. R. J. dicens:

Jesus Nazarenus rex Judaeorum praeservet me ab omni peccato et subitanea morte.

Memento, in lectulo ita jacere, ut cubitus tuus neque angelum custodem dolore, neque diabolum gaudio afficiat. Et si statim somnum capere non possis, orare incipies, quo facilius omnibus vanis cogitationibus aditus intercludatur. Deus te videt in tenebris et angelus ad te assistit!

Preces sub sacrosancto missae sacrificio.

Praeparatio.

Domine Jesu Christe, verbum Patris, qui corporis et sanguinis tui sacramentum in ultima coena instituisti illudque in passionis et mortis tuae memoriam a sacerdotibus offerri voluisti: fac me quaeso, participem meritorum et beneficiorum tuorum, quae in hac missa innovantur, et concede, ut devote et attente intersim huic sanctissimo sacrificio, quod cum sacerdote tibi nunc humiliter offero in memoriam sanctissimae passionis tuae et mortis, in honorem beatae virginis Mariae omniumque electorum tuorum, ad delictorum

meorum remissionem et purgationem, ad impetrandas omnes gratias quibus mihi opus est, ut adolescentiam meam transigam in sinceritate et puritate animi, pro omnibus christianis vivis ac defunctis. Da gratiam, ut huic divino monumento potentiae, sapientiae et bonitatis tuae, huic compendio omnium a te mire factorum attentione ea assistere possim, quam exigit tuae majestatis praesentia, tot mysteriorum, quae hic gerentur, magnificentia.

Ad Introitum.

Tibi Domine Deus confiteor cum dolore delicta mea; propter ineffabilem pietatem et misericordiam tuam suscipe, quaeso, confessionem meam, imo ipse largire, ut toto animo confitear, qui dignatus es dicere: „Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.“ Ego sum, Domine, ille in-

gratissimus peccator, qui omni timore postposito praecepta tua transgressus sum, sanctitatem animae violavi, dona et gratias tuas profudi! At finem peccandi faciam; da mihi posse, qui velle dedisti, et fac, ut radices peccatorum excidam, et dignos poenitentiae fructus concede.

Ad Kyrie.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus misericordiae et pietatis non est numerus, qui occulta animae solus agnoscis: respice in me et miserere mei! Delicta juventutis meae et ignorantias meas ne memineris, Domine, sed erue animam meam de manibus inimicorum meorum! Ne derelinquas me, Domine Deus, ne unquam discesseris a me, neve tradas me in manus inimicorum quaerentium animam meam, sed libera eam de omni

angustia et damnatione et salvum me fac misericordia tua.

Kyrie eleison — Christe eleison — Kyrie eleison.

A Gloria usque ad Offertorium.

Domine Jesu Christe, Deus misericors et aeterne, ad te confugio ego peccator animo impuro et illecebris peccatorum vulnerato, qui tantum vanitatem hujus mundi quaesivi, carnis delicias expetivi et quae tu odisti, amore complexus sum. Ad te, Domine, clamo, tibi remedium supplico. Da mihi quaeso, munditiem et puritatem mentis, simplicitatem recti spiritus et omnes inordinatas in me extingue commotiones. Extirpa radicitus in me, Domine, quidquid restat concupiscentiae carnalis; evelle, quidquid in me est vitiorum et quidquid in me tibi displicet penitus aufer.

Crea in me, Domine, animum mundum et purum, pium, humilem, devotum. Munda me ab omnibus carnalibus desideriis, ab omnibus terrenis cupiditatibus. Extolle mentem meam ad te, qui in coelis habitas; ingere mihi eam mentem, quae terrena horreat et te supra omnia amet, quae virtutes amplectatur et vitia adversetur. Converte me Domine totum ad te et effice hoc tua gratia, quod mea non potest natura. Libera me et integrum conserva ab omni peccato. Rege et dispone sensus omnes meos interiores et exteriores, atque etiam omnes animae meae vires secundum beneplacitum tuum tempera. Custodi me ab omni iniquo et pravo opere, ab omni mala cogitatione, ab omni proposito impio, ab omni consensu peccati, ab omnibus rebus, quae voluntati tuae repugnent. Fac, ut te unum

supra omnia diligam, nihil gaudeam, nihil expetam, quod tibi sit contrarium. Da. ut a puero in hoc saeculo sic vivam, ut vitae meae extremo tempore purus inveniar neve in horrendam reprehensionem incurram, sed ut mundus appaream et ab angelo meo custode in patriam coelestem perducar. Amen.

Ad Offertorium.

Domine Jesu Christe, fili Dei vivi! in memoriam et laudem immensae caritatis tuae, qua te nobis totum in altaris cruce impendisti: ecce hoc missae sacrificium sicut et alia omnia, quae ubicunque terrarum a sacerdotibus celebrantur, offero tibi repraesentanda Patri tuo, in unione illius oblationis, qua ipse in cruce moriens sacrosanctum corpus et sanguinem tuum pro mundi salute obtulisti.

Fac, ut ejusdem corporis et sanguinis oblatio, quae per mysterium hic renovatur et incruento modo sub specie panis et vini peragitur, fructum suum mihi et omnibus obtineat, ut nos omnes gratiam, fidelium defunctorum animae requiem et hi, pro quibus sacrificium offertur, misericordiam ac vitam consequantur aeternam.

Sit quoque hoc sacrificium, quod fructum passionis et mortis tuae in se continet, pro innumerabilibus beneficiis tuis, quae in me et in quoscunque impendisti, gratiarum actio, pro infinitis peccatis et negligentiis poenisque promeritis propitiatio et satisfactio salutaris.

Suscipe etiam, o Jesu benignissime, omnia mea opera in unione amoris illius, quo salutem nostram operatus es in terris, et dirige clementer omnia ad tuum hono-

rem et meam salutem, ut in omnibus rebus, quae mihi de manu tua obtigerint, me ipsum ad beneplacitum tuum semper offeram, in omnibus tibi gratias agam et nunquam a te separari possim.

Ad Praefationem.

Gratias tibi ago, misericordissime amator hominum Jesu Christe, qui meam miseram assumpseris naturam et peccata mea portaveris in corpore tuo super lignum, qui tam ineffabiliter amaveris me, ut morti te tradideris propter me! O caritas inaestimabilis! Tu Dei altissimi Filius, ut servum redimeres, animam posuisti tuam pro inimicis; tu pro impiis passus es idque ea cum humilitate et mansuetudine, ut nec ad tot blasphemias, nec ad falsissima, quae tibi objiciebantur, crimina responderis. Visus es tanquam leprosus

et hominum abjectissimus, vir dolorum; sputis illitus es, o Christe Jesu, opprobriis saturatus, morte turpissima condemnatus, in sceleratis positus es et factus obediens usque ad mortem tradidisti spiritum et ea omnia passus es pro me! Reddam tibi, Domine, quod possum et habeo, totam animam, totum corpus, totam substantiam meam in sacrificium laudis et gratiarum actionis! Reddam tibi aeternum illud allelujah, quod tibi canunt angeli et archangeli, Cherubim ac Seraphim, cum quibus et meam vocem ut conjungere mihi liceat, precor, supplici confessione dicentis: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth! Pleni sunt coeli et terra gloria tua! Hosanna in excelsis! Benedictus, qui venit in nomine Domine! Hosanna in excelsis!

Sub Canone.

Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam da vobis, ne respicias peccata mea, sed fidem ecclesiae tuae eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris: qui vivis et regnas, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrosanctum corpus

Lamm Gottes, das Du hinweg-
nimmst die Sünden der Welt; er-
barme Dich unser.

Lamm Gottes, das Du hinweg-
nimmst die Sünden der Welt; er-
barme Dich unser.

Lamm Gottes, das Du hinweg-
nimmst die Sünden der Welt; gib
uns den Frieden.

Herr Jesus Christus, der Du
Deinen Aposteln gesagt hast, den
Frieden hinterlasse ich Euch, meinen
Frieden gebe ich Euch; siehe nicht
auf meine Sünden, sondern auf den
Glauben Deiner Kirche und wolle
ihr Deinem Willen gemäß Frieden
und Einigkeit verleihen. Der Du
lebest und regierest Gott in alle
Ewigkeit. Amen.

Herr Jesus Christus, Sohn des
lebendigen Gottes, der Du nach dem
Willen des Vaters unter Mitwirkung
des hl. Geistes durch Deinen Tod
der Welt das Leben gegeben hast;

et sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis, et fac me tuis semper inhaerere mandatis et a te nunquam separari permittas, qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Perceptio corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis et ad medelam percipiendam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Panem coelestem accipiam et nomen Domini invocabo.

befreie mich durch diesen Deinen hochheiligen Leib und Dein Blut von allen meinen Sünden und sämmtlichen Uebeln; gib, daß ich immer Deinen Geboten anhange und lasse nicht zu, daß ich jemals von Dir getrennt werde. Der Du mit demselben Gott dem Vater und dem hl. Geiste lebest und regierest Gott von Ewigkeit zu Ewigkeit. Amen.

Der Empfang Deines Leibes, o Herr Jesu Christus, welchen ich Unwürdiger zu genießen wage, gereiche mir nicht zum Gerichte und zur Verdammung, sondern gedeihe mir nach Deiner Güte zum Schutze der Seele und des Leibes, und um Heilung zu erlangen. Der Du lebest und regierest mit Gott dem Vater in Einigkeit des hl. Geistes, Gott in alle Ewigkeit. Amen.

Das himmlische Brod will ich nehmen und den Namen des Herrn anrufen.

Communio.

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur anima mea. *(Ter repetitur.)*

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi! Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum et ab inimicis meis salvus ero.

Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Communion.

Herr, ich bin nicht würdig, daß Du eingehest unter mein Dach, sondern sprich nur ein Wort, so wird meine Seele gesund werden. (Dreimal.)

Der Leib unseres Herrn Jesu Christi bewahre meine Seele zum ewigen Leben. Amen.

Was soll ich dem Herrn entgegenthun für Alles, was er mir gethan hat! Ich will den Kelch des Heiles empfangen und den Namen des Herrn anrufen. Lobsingend werde ich den Herrn anrufen, und errettet sein von meinen Feinden.

Das Blut unseres Herrn Jesu Christi bewahre meine Seele zum ewigen Leben. Amen.

Was wir mit dem Munde genossen haben, laß uns, o Herr, mit reinem Gemüthe erfassen, und aus der zeitlichen Gabe werde uns ein ewiges Heilmittel.

Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis, et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura ac sancta refecerunt sacramenta. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Memento verbi tui servo tuo, Domine, in quo mihi spem dedisti, haec me consolata est in humilitate mea.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Praesta, quaesumus, Domine, ut terrenis affectibus expiati ad superni plenitudinem sacramenti, cujus libavimus sancta, tendamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus

Dein Leib, o Herr, den ich empfangen, und das Blut, das ich getrunken, verbleibe in meinem Innersten, und verleihe, daß in mir, den die reinen und heiligen Sakramente von Neuem gestärkt haben, keine Sündenmackel zurückbleibe. Der Du lebst und regierest von Ewigkeit zu Ewigkeit. Amen.

Nachfeier und Schluß.

Sei eingedenk Deinem Knechte Deines Wortes, o Herr, auf welches Du mir Vertrauen gabst. Das tröstet mich in meinem Elende.

Pr. Der Herr sei mit euch.

D. Und mit Deinem Geiste.

Lasset uns beten.

Verleih uns, wir bitten Dich, o Herr, daß wir frei von irdischen Begierden nur trachten nach der Fülle des überirdischen Sakramentes, dessen heiliges Wesen wir genossen. Durch unsern Herrn Jesus Christus, Deinen Sohn, der mit Dir lebt und regiert

sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

S. Dominus vobiscum.
M. Et cum spiritu tuo.
S. Ite missa est.
M. Deo gratias.

Gratiarum actio.

Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae et praesta, ut sacrificium, quod oculis tuae majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile mihique et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedictio.

S. Benedicat vos omnipotens Deus, Pater et Filius et spiritus sanctus.

M. Amen.

in Einigkeit des hl. Geistes Gott von Ewigkeit zu Ewigkeit.

D. Amen.

Pr. Der Herr sei mit euch.

D. Und mit Deinem Geiste.

Pr. Gehet, die Messe ist (vollendet.)

D. Gott sei Dank.

Danksagung.

Laß Dir, heilige Dreifaltigkeit, den Dienst meiner Unterwerfung gefallen und verleihe, daß das Opfer, welches ich Unwürdiger vor den Augen Deiner Majestät dargebracht, Dir angenehm sei; mir aber und Allen, für die ich es dargebracht habe, durch Deine Barmherzigkeit zur Versöhnung gereiche. Durch Christus unsern Herrn. Amen.

Segen.

Pr. Es segne euch der allmächtige Gott, der Vater, der Sohn und der heilige Geist.

D. Amen.

S. Dominus vobiscum.
M. Et cum spiritu tuo.
S. Initium sancti evangelii secundum Joannem.
M. Gloria tibi Domine.

In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannis. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat et mundus per ipsum

Pr. Der Herr sei mit euch.

D. Und mit Deinem Geiste.

Pr. Anfang des heiligen Evangeliums nach Johannes.

D. Ehre sei Dir, o Herr.

Im Anfang war das Wort, und das Wort war bei Gott, und Gott war das Wort. Dasselbe war im Anfange bei Gott. Durch dasselbe sind alle Dinge gemacht worden, und ohne dasselbe ist nichts gemacht, was da immer gemacht worden ist. In ihm war das Leben und das Leben war das Licht der Menschen. Und das Licht leuchtete in den Finsternissen, und die Finsternisse haben es nicht begriffen. Es war ein Mensch von Gott gesandt, der hieß Johannes. Dieser kam zum Zeugniß, damit er Zeugniß von dem Lichte gab, auf daß Alle durch ihn glauben sollten. Er war nicht das Licht, sondern er sollte Zeugniß geben von dem Lichte. Es erschien das wahre

factus est et mundus eum non cognovit. In propria venit et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

℟. Deo gratias.

Licht, welches jeden Menschen erleuchtet, der in diese Welt kommt. Er war in der Welt, und die Welt ist durch ihn gemacht worden, und die Welt hat ihn nicht gekannt. Er kam in sein Eigenthum, und die Seinigen nahmen ihn nicht auf. So viele ihn aber aufgenommen haben, diesen gab er die Macht, Kinder Gottes zu werden, jenen, welche in seinem Namen glauben, welche nicht aus dem Blute, noch aus dem Willen des Mannes, sondern aus Gott geboren sind. Und das Wort ist Fleisch geworden, und hat unter uns gewohnt, und wir haben seine Herrlichkeit gesehen, die Herrlichkeit als des eingeborenen Sohnes vom Vater, voll Gnade und Wahrheit.

D. Gott sei Dank.

De confessione.

Domi, priusquam ad confessionem in templo accedas, ad eam te diligenter parabis, reflectendo accurate, in quibus contra Dominum Deum, contra te, contra proximum peccaveris, cogitatione, verbo, opere et omissione. Si putas te non posse e memoria integre tua peccata confiteri, ad chartam ea tibi (quae ne veniat in aliorum manus, cave) omnia describe; ante hanc praeparationem invoca gratiam Spiritus sancti ad cognoscenda singula peccata tua, hunc in modum orando:

O sancte Deus! qui semper paratus es, peccatores recipere iisque parcere, misericors intuere animam meam miseram ad te rursus redeuntem, quae te tam multis et magnis delictis offendit. Da mihi praeparationem huic rei convenientem, illumina mentem meam, ut omnia et singula intelligam peccata; praepara animam

meam, ut peccatorum taedio et odio perculsus recte confitear tuaque gratia dignus evadam.

O mi Jesu, mentem meam,
Ut peccata digne fleam,
Propter te illumina!

Post singula peccata annotata dole et dic serio tantum mente: Doleo mi Jesu amore tui, vel, doleo propter te.

In annotandis peccatis haec observa: semper primo loco ponas peccatum illud, cujus te maxime pudet, ut te et pudorem propter Deum mortifices. Ne adfer ea, quae peccata non sunt, ne alios confiteri volentes impedias; peccata fallacibus verbis ne tegas, sed simplicibus verbis, ut statim intelligantur, aperias; peccatis gravioribus, maxime mortalibus numerum, quoties ea commiseris, adjicias; si de quo dubitas, illud tamen annotabis, ut confitearis. Nullum peccatum gravius omittas, ne sacrilegam facias confessionem.

Peccata autem venialia confiteri non teneris, quod sciendum est ad scrupulos evitandos; ea tu tamen semper confitere, saepe enim sunt mortalia, quae nos putamus venialia, ne angaris, si cujus obliviscaris. — Ante confessionem ipsam, spei

de misericordia Dei plenus, dole de peccatis et propone emendationem hoc vel alio modo.

Actus contritionis.

O amabilissime Jesu! qui amore mei crucifixus es, amo te super omnia toto corde ob infinitam bonitatem omnesque divinas perfectiones tuas et si possem, omnium angelorum et sanctorum amore te amarem; nam maximo amore es dignissimus! Et quia sic te amo, poenitet me et toto mentis affectu doleo, quod ego vilissima creatura tua contra te, optimum Deum meum, cui omne peccatum summe displicet, unquam peccavi. O si te non offendissem! o si non egissem id, quod sanctissimae tuae voluntati et amori sic contrarium est! Revoco, retracto, detestor et quantum possum exsecror, quidquid feci cogitatione, verbo, opere et

omissione contra te. Quantopere velim tota vita mea me id non fecisse. Heu! poenitet me iterum atque iterum et millies poenitebit me tota vita mea. Et si nulla poena aut infernus esset et nullum coelum, tua tamen amabilissima bonitas a me, heu mihi, offensa sufficit, ut mihi cor dolore disrumpatur et oculi flumina ac maria lacrymarum profundant. Propono firmissime, juvante gratia tua, sanctissimae tuae legi posthac in omnibus obedire, peccatum quodvis super omne aliud malum vitare, integre confiteri, poenitentiam injunctam explere, proximo meo, si quid teneor et debeo, satisfacere, offendendi te occasiones, quantum potero, fugere. Condono omnibus omnes injurias et offensas mihi factas, sicut meae a te mihi peto ut condonentur. Offero tibi vitam et actiones

meas, quidquid tua gratia juvante perficiam et omnes afflictiones (quas juste pro peccatis meis mereor) a me sustinendas in aliquam compensationem tot offensarum et injuriarum a me tibi illatarum. Insuper offero tibi intensissimos compunctionis, contritionis, detestationis affectus, quos unquam vere poenitentes vel sua vel aliena peccata deflentes habuerunt, quibus omnibus pro peccatorum meorum mole et multitudine ipse commoveri velim. Offero, inquam, haec omnia in unione lacrymarum tuarum, quibus o! amantissime Jesu, nostra delicta deflevisti, laborum item et cruciatuum, quibus eadem expiasti, et omnium meritorum tuorum, quibus spero veniam peccatorum meorum et uberem gratiam a misericordissimis visceribus tuis me asseculurum, ut me emendem et piam ac bonam vitam instituam. Amen.

O Jesu infinite amabilis! doleo propter te, quod toties et tam graviter per vitam meam te offendi. A peccatis meis in sanguine tuo lava me, amo et amabo ex hoc in aeternum te; ne permittas me separari a te; sim totus tuus et tu meus in aeternum.

O Deus meus! doleo ex animo de omnibus peccatis meis idque maxime, quia divinae tuae displicent majestati.

Oratio post confessionem.

Egressus sum, amantissime Jesu, sicut filius prodigus ad brachia et amplexus tuae bonitatis; ah miserum me! quae nubes tam densa affectus depravati efficere potuit, ut non viderem et non amarem te solam veritatem! coecus fui, cum te offendi et amavi coecitatem

meam. O infelix tempus, quo te non cognoverim; o miseram coecitatem, qua te non viderim! o nefandam surditatem, qua non audiverim voces tuas! Durum et infatuatum est, quod se immiscuit pulchritudini et amori corruptibili tuarum creaturarum, te deserens, qui es pulchritudo et bonitas aeterna. Sed bonitas infinita! tu mihi oculos aperuisti, ut cognoscerem et horrerem peccata mea omnia, propter te, ut agnoscerem et amarem te super omnia. Sero quidem te amavi, amor aeterne; melius tamen est sero, quam nunquam. Faciam, quod nunquam feci, exhibendo me ex tota anima tibi gratum. Procul inde esto vita pristina, procul profanae deliciae, procul honores vani, procul omne peccatum. Est mihi propositum, non jam recedere ab amicitia et gratia tua,

nunquam per ullum peccatum abs te alienari.

O amabilissime Jesu! si vis, potes me ita mundare, ut te non offendam amplius: dic mihi, obsecro, quod dixisti olim leproso: Volo mundare." Dic mihi, quod dixisti paralitico: „Ecce sanus factus es, jam noli amplius peccare." Ita propono, ita profiteor et protestor coram divina tua majestate, coram B. Virgine Maria et tota coelesti curia: „nolo amplius peccare: in aeternum non peccabo juvante tua gratia!" Volo Domine in posterum, ut christianum et filium tam amabilis patris decet, bene et pie vivere, ut possim aliquando bene mori; quia talis esse solet mors, qualis fuerit vita. Volo servare praecepta omnia et malo millies mori, quam ullum sponte et deliberate transgredi. Agnosco quidem debilitatem et

inconstantiam meam; agnosco perversos mores meos; scio, quam sim fragilis, scio, quam saepe, quam graviter, quam temere tuam bonitatem offenderim. Saepe volui et statui custodire judicia justitiae tuae et eheu, quoties fui foedifragus et infidelis! Hodie tamen, non meis confisus viribus sed tua fretus gratia statuo firmissime, ab hac hora, nunquam amplius adire loca, in quibus mihi offertur occasio peccandi, nunquam amplius amare ullam creaturam plus quam te. Confirma hoc propositum meum, Deus meus, sigillo gratiae tuae. Amen.

Deinde absolve poenitentiam et subjunge sequentem orationem:

Sit tibi, Domine, obsecro, cum meritis beatae Mariae virginis et omnium sanctorum, grata et accepta ista confessio mea, et quidquid mihi defuit nunc et alias de

puritate et integritate confessionis, suppleat pietas et misericordia tua, et secundum illam digneris me habere plenius et perfectius absolutum in coelo. Qui vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Affectus pii post confessionem eliciendi.

Laus sit Dei bonitati,
Quae me lavit a peccati
  Sorde Christi sanguine!

Amo Dei bonitatem
Et ob illam foeditatem
  Peccatorum horreo.

Cum Christo atque matre Dei
Omnes sancti loco mei
  Deo satisfaciant.

Ah! peccatum jam est satis,
Server posthac a peccatis
  Tua Deus gratia!

Per crucem atque mortem tuam
Fac ne posthac unquam ruam,
Jesu dilectissime.

Molo mori quam foedari
Et a Deo separari
Peccato vel unico. Amen.

De communione.

Pridie ejus diei, quo ad S. communionem accedas, praecipue oculos et sensus custodies, e libro spirituali aliquid leges; mentem tuam ne distrahas lusu vel alia simili occupatione, sed omnibus domesticis modestia et devotione praelucebis. Nocturnis precibus consuetis adde hunc hymnum:

Jesu dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia,
Sed super mel et omnia,
Ejus dulcis praesentia.

Desidero te millies,
Mi Jesu, quando venies,
Me laetum quando facies,
Me de te quando saties.

Quocumque loco fuero,
Mecum Jesum desidero,
Quam laetus, cum invenero,
Quam felix, cum tenuero.

Bone pastor, panis vere,
Jesu nostri miserere,
Tu nos pasce, nos tuere,
Tu nos bona fac videre,
In terra viventium.

Veni pater pauperum,
Veni dator munerum,
Veni lumen cordium,
Consolator optime,
Dulcis hospes animae.
Dulce refrigerium.! Amen.

Orationes ante communionum.

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Jesu Christe, ego peccator de propriis meritis nihil praesumens sed tua confisus misericordia accedere vereor et contremisco; nam animum et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo pie Domine o tremenda majestas, ego miser inter angustias deprehensus ad te

fontem misericordiae recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio, et, quem judicem sustinere nequeo, salvatorem habere suspiro. Tibi Domine, plagas meas ostendo, tibi verecundiam meam detego.

Scio peccata mea multa et magna, ex quibus timeo; spem pono in misericordia tua, cujus non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiae tuae, pie Jesu Christe, rex aeterne, Deus et homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te; miserere mei, pleni miseriarum et peccatorum, tu, qui fontem miserationis nunquam soles obsaepire. Salve salutaris victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve nobilis et pretiose sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens et peccata totius mundi abluens. Recordare

Domine creaturae tuae, quam tuo sanguine redemisti. Poenitet me peccasse, cupio emendare, quod deliqui. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea, ut purificatus mente et corpore digne degustare merear sancta sanctorum et concede, ut sancta praelibatio corporis et sanguinis tui, quam indignus sumere intendo, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio ac bonorum sensuum regeneratio operumque tibi placentium salubris efficacia animae quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tutela. Amen.

Oratio s. Thomae Aquinatis.

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad sacramentum unigeniti filii tui Domini nostri Jesu

Christi: accedo tanquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, coecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum coeli et terrae. Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare coecitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: ut te, panem angelorum, regem regum, Dominum dominantium, ea suscipiam reverentia et humilitate, ea contritione et devotione, ea puritate et fide, eo proposito et intentione, quae expedit saluti animae. Da mihi, quaeso, Dominici corporis et sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. O mitissime Deus, da mihi corpus unigeniti filii tui domini nostri Jesu Christi, quod assumpsit de virgine Maria, sic

suscipere, ut corpori ejus mystico merear incorporari et inter ejus membra connumerari. O amantissime pater, concede mihi dilectum filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio Thomae a Kempis.

Cum summa devotione et ardenti amore, cum toto cordis affectu et fervore desidero te Domine suscipere, quemadmodum multi sancti et devoti in communicando te desideraverunt, qui tibi maxime sanctitate vitae placuerunt et in ardentissima devotione fuerunt.

O Deus meus, amor aeternus, totum bonum meum, felicitas interminabilis, cupio te suscipere

cum vehementissimo desiderio et dignissima reverentia, quam aliquis sanctorum unquam habuit et sentire potuit.

Et licet indignus sim, qui illam tantam devotionem habeam, tamen offero tibi cordis mei totum affectum, ac si omnia illa inflammata desideria solus haberem. Sed et quaecunque potest pia mens concipere et desiderare, haec omnia tibi cum summa veneratione ac intimo fervore praebeo et offero. Nihil opto mihi reservare, sed me et omnia mea tibi sponte et libentissime immolare.

Domine Deus meus, creator meus et redemptor meus, cum eo affectu, reverentia, laude, honore, cum ea gratitudine, dignitate, amore, cum tali fide, spe, puritate te affecto hodie suscipere, quo te suscepit et desideravit sanctissima mater tua, gloriosa

virgo Maria, quum angelo evangelizanti sibi incarnationis mysterium humiliter et devote respondit: „*Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*"

Et sicut beatus praecursor tuus, excellentissimus sanctorum, Joannes Baptista, in praesentia tua laetabundus exultavit in gaudio Spiritus sancti, et post cernens inter homines Jesum ambulantem valde se humilians devoto cum affectu dicebat: „*Amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi,*" sic et ego magnis et sacris desideriis opto inflammari et tibi ex toto corde me ipsum praesentare.

Unde et omnium devotorum cordium jubilationes, ardentes affectus, mentales excessus ac supernaturales illuminationes et coelicas visiones tibi offero et exhibeo

cum omnibus virtutibus et laudibus ab omni creatura in coelo et in terra celebratis et celebrandis pro me et omnibus mihi in oratione commendatis, quatenus ab omnibus digne lauderis et in perpetuum glorificeris.

Accipe vota mea, domine Deus meus, et desideria infinitae laudationis ac immensae benedictionis, quae tibi secundum multitudinem ineffabilis magnitudinis tuae jure debentur; haec tibi reddo et reddere desidero per singulos dies et momenta temporum, atque ad reddendum mecum tibi gratias et laudes omnes coelestes spiritus et cunctos fideles tuos precibus et affectibus invito et exoro.

Laudent te universi populi, tribus et linguae et sanctum ac mellifluum nomen tuum cum summa jubilatione et ardenti devotione

magnificent. Et quicunque reverenter ac devote altissimum sacramentum tuum celebrant et plena fide recipiunt, gratiam et misericordiam apud te invenire mereantur et pro me peccatore suppliciter exorent. Atque cum optata devotione ac unione potiti sunt et bene consolati ac mirifice refecti de sacra mensa coelesti discedunt, mei pauperis recordari dignentur. Amen.

Ante communionem ipsam vel ora Confiteor cum ministro vel dolorem et contritionem breviter elicias, his aut similibus actibus.

O mi Jesu! Agnus Dei!
Jesu miserere mei,
Peccatoris maximi!

Dolet meum cor malignum,
Quo te Deum tam benignum
Vel semel offenderim.

Nolo, nolo jam peccare,
Sed te, mi Jesu, amare
Volo totis viribus.

Ad domine non sum dignus si lubet sic ora:

Non sum dignus, non sum dignus,
Ut tu Deus tam benignus
Cordis mei hospes sis.

Non sum dignus, sed te tamen
Cordis unicum solamen
Mi Jesu desidero!

Vel certe ipsum **domine non sum dignus** summa humilitate cum sacerdote repete; ad primum non sum dignus cogita: propter meam vilitatem; ad secundum: propter mea peccata; ad tertium: propter summam Dei majestatem.

Orationes post communionem.

Adoratio.

Adoro te, dulcissime Jesu, cum Patre et Spiritu sancto, et gratias tibi ago pro tuo ad me indignis-

simum adventu et pro omnibus beneficiis tuis et notis et ignotis: praesertim pro beneficio redemtionis nostrae ac pro liberatione ac praeservatione a tam multis peccatis, et pro gratia justificationis ac tam ampla multitudine auxiliorum gratiae a te in nos collatorum, et tam multiplici usu et fructu sacramentorum in ecclesia sancta tua ac destinatione ad gloriam coelestem; et pro patientia tua in tolerandis tot nostris peccatis et perseverantia multorum in gratia tua et tot animarum conversione et divinis tuis manuductionibus ad vitae perfectionem. Quocirca in unione omnium meritorum tuorum offero tibi et Patri et Spiritui sancto sacratissimum sacramentum in recognitionem infinitae majestatis tuae ac nihili nostri et indignitatis nostrae ac demeritorum no-

strorum, pro omnibus beneficiis tuis et pro peccatis et necessitatibus nostris, et in unione hujus sanctae oblationis offero tibi omnia mea desideria et proposita bona, omnes renunciationes meas, omnes actus, qui tibi unquam in me et in aliis placuerunt, illos ratificando, desiderando et iterando in quantum possum. Et rogo divinam majestatem tuam, ut has oblationes in odorem suavitatis acceptare digneris et effundere in nos et in nostra omnia omnem benedictionem tuam coelestem, in mensura bona, conferta et coagitata et superfluente, quae benedicat nos et omnia nostra, et ut haec benedictio tua descendat in animas defunctorum. Amen.

Oratio s. Thomae Aquinatis.

Gratias tibi ago domine sancte, pater omnipotens, aeterne Deus,

qui me peccatorem indignum famulum tuum nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae, satiare dignatus es pretioso corpore et sanguine filii tui domini nostri Jesu Christi Et praecor, ut haec sancta communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae et libidinis exterminatio, caritatis et patientiae, humilitatis et obedientiae omniumquae virtutum augmentatio; contra insidias inimicorum omnium tam visibilium, quam invisibilium, firma defensio; motuum meorum tam carnalium quam spiritualium perfecta quietatio; in te uno ac vero Deo firma adhaesio atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium

me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu sancto Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata et felicitas perfecta. Per eundem Christum Dominum nostrum Amen.

Oratio s. Bonaventurae.

Transfige, dulcissime domine Jesu, medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera serenaque et apostolica sanctissima caritate, ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui, te concupiscat et deficiat in atria tua, cupiat dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat panem angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem et

omne delectamentum suavitatis; te, in quem desiderant angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae; te semper sitiat fontem vitae, fontem sapientiae et scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei; te semper ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque ad finem; et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiae meae, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum,

auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma et immobiliter sit radicata mens mea et cor meum. Amen.

Oratio alia.

Domine Jesu Christe, divine hospes cordis mei, qui pro salute animae meae mori dignatus es, obsecro te per eandem tuam sanctissimam mortem, ne permittas aeternum perire hanc animam meam, quam toties tuo pretioso corpore et sanguine pascis. O domine, doce me viam salutis, ne coelo exclusus aeternum separer a te! o summum bonum meum! loquere mihi nunc verba vitae aeternae, quia audit servus tuus. Tu es, qui venisti quaerere, quod perierat, et ego sum ovis illa perdita; accipe me, o pastor bone! super humeros tuos et ostende

mihi ovile tuum, in quo a lupo infernali tuta sit anima mea. Abstrahe cor meum ab amore vanitatum hujus saeculi, ut nihil quaeram, nihil amem, nisi te, o amor meus! Hoc unicum desiderat anima mea, ut per gratiam tuam infinitam dignus efficiar, qui serviam tibi juxta divinae bonitatis tuae placitum! ab hoc enim tota vitae ac mortis meae pendet felicitas. Dic ergo domine quid me vis facere? Da, quod jubes, et jube, quod vis. Ah domine! ne propter peccata mea projicias me a facie tua et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Sentiam, o mi Jesu, effectum praesentiae tuae, ut audiam, quid loquatur in me dominus et ambulem in fortitudine coelestis hujus cibi vias tuas usque ad mortem. Suscipe cor meum domine, quod sanctissimo tuo cordi et beneplacito totum

conjungo atque in sinum tuae misericordissimae providentiae penitus immergo: ibi vivam, ibi moriar, ibi sepeliar, ibi suaviter requiescam in aeternum. Amen.

Ora deinde ad indulgentias lucrandas 5 vel 7 Pater et Ave et symbolum apostolicum.

Vesperae dominicariae.

Pater noster. Ave Maria.

V. Deus in adjutorium meum intende.

R. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. Alleluja.

Antiphona. Gloria tibi Trinitas aequalis, una Deitas, et ante omnia saecula et nunc et in perpetuum.

Psalmus 109. Dixit Dominus Domino meo: * sede a dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos: * scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion: * dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus sanctorum: * ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, et non poenitebit eum: * tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis: * confregit in die irae suae reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas: * conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: * propterea exaltabit caput.

Gloria Patri etc.

Antiph. Gloria tibi Trinitas aequalis, una Deitas, et ante omnia saecula et nunc et in perpetuum.

Antiph. Laus et perennis gloria Deo Patri et Filio, sancto simul Paraclito in saeculorum saecula.

Psalmus 110. Confitebor tibi Domine in toto corde meo: * in consilio justorum et congregatione.

Magna opera Domini: * exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio et magnificentia opus ejus: * et justitia ejus manet in saeculum saeculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus: * escam dedit timentibus se.

Memor erit in saeculum testamenti sui: * virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.

Ut det illis hereditatem gentium: * opera manuum ejus veritas et judic um.

Fidelia omnia mandata ejus,

confirmata in saeculum saeculi: * facta in veritate et aequitate

Redemtionem misit populo suo: * mandavit in aeternum testamentum suum.

Sanctum et terribile nomen ejus: * initium sapientiae timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: * laudatio ejus manet in saeculum saeculi.

Gloria Patri etc.

Antiph. Laus et perennis gloria Deo Patri et Filio sancto simul Paraclito in saeculorum saecula.

Antiph. Gloria laudis resonet in ore omnium Patri genitaeque Proli, Spiritui sancto pariter resultet laude perenni.

Psalmus III. Beatus vir, qui timet Dominum: * in mandatis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus: * generatio rectorum benedicetur.

Gloria et divitiae in domo ejus: * et justitia ejus manet in saeculum saeculi.

Exortum est in tenebris lumen rectis: * misericors et miserator et justus.

Jucundus homo, qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio: * quia in aeternum non commovebitur.

In memoria aeterna erit justus: * ab auditione mala non timebit.

Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus: * non commovebitur, donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in saeculum saeculi: * cornu ejus exaltabitur in gloria.

Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet: * desiderium peccatorum peribit.

Gloria Patri etc.

Antiph. Gloria laudis resonet in ore omnium Patri genitaeque Proli, Spiritui sancto pariter resultet laude perenni.

Antiph. Laus Deo Patri parilique Proli et tibi sancte studio perenni Spiritus nostro resonet ab ore omne per aevum.

Psalmus 112. Laudate pueri Dominum: * laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum: * ex hoc nunc et usque in saeculum.

A solis ortu usque ad occasum: * laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus: * et super coelos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat: * et humilia respicit in coelo et in terra?

Suscitans a terra inopem: * et de stercore erigens pauperem:

Ut collocet eum cum principibus: * cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo : * matrem filiorum laetantem.

Gloria Patri etc.

Antiph. Laus Deo Patri parilique Proli et tibi sancte studio perenni Spiritus nostro resonet ab ore omne per aevum.

Antiph. Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: ipsi gloria in saecula.

Psalmus 116. Laudate Dominum omnes gentes: * laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: * et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria Patri etc.

Antiph. Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: ipsi gloria in saecula.

Capitulum. O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viae ejus!

Hymnus.

Jam sol recedit igneus;
Tu lux perennis Unitas,
Nostris beata Trinitas
Infunde amorem cordibus.

Te mane laudum carmine,
Te deprecamur vespere,
Digneris, ut te supplices
Laudemus inter coelites.

Patri simulque Filio
Tibique sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Saeclum per omne gloria. Amen.

V. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu.

R. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Magnificat.

Antiph. Gratias tibi Deus, gratias tibi vera et una Trinitas, una et summa Deitas, sancta et una Unitas.

Magnificat: * anima mea Dominum:

Et exultavit spiritus meus: * in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillae suae: * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est: * et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies: * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: * dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: * et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: * et divites dimisit inanes.

Suscepit Israël puerum suum: * recordatus misericordiae suae.

Sicut locutus est ad patres nostros: * Abraham et semini ejus in saecula.

Gloria Patri etc.

Antiph. Gratias tibi Deus, gratias tibi vera et una Trinitas, una et summa Deitas, sancta et una Trinitas.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere et in potentia majestatis adorare Unitatem: quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper

muniamur adversis. Per Dominum nostrum.

Antiphonae ad beatam virginem.

Ab sabbato ante Adventum usque ad festum Purificationis.

Alma redemtoris mater, quae pervia coeli
Porta manes et stella maris, succurre cadenti,
Surgere, qui curat, populo; tu, quae genuisti
Natura mirante tuum sanctum genitorem;
Virgo prius ac posterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud Ave, peccatorum miserere.

V. Angelus Domini nuntiavit Mariae.

R. Et concepit de Spiritu sancto.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde:

ut qui angelo nuntiante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

A primis Vesperis Nativitatis et deinceps:

V. Post partum virgo inviolata permansisti.

R. Dei genitrix intercede pro nobis.

Deus, qui salutis aeternae beatae Mariae virginitate foecunda humano generi praemia praestitisti: tribue, quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Amen.

Post Purificationem usque ad feriam quintam in coena Domini exclusive:

Ave regina coelorum,
Ave Domina angelorum;
Salve radix, salve porta,
Ex qua mundo lux est orta:
Gaude virgo gloriosa,
Super omnes speciosa:
Vale, o valde decora,
Et pro nobis Christum exora.

V. Dignare me laudare te, virgo sacrata.

R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Concede misericors Deus fragilitati nostrae praesidium: ut, qui sanctae Dei genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Ab sabbato sancto usque ad sabbatum post Pentecosten inclusive:

Regina coeli laetare: alleluja!
Quia quem meruisti portare, alleluja!

Resurrexit, sicut dixit: alleluja!
Ora pro nobis Deum: alleluja!

V. Gaude et laetare, virgo Maria, alleluja!

R. Quia surrexit Dominus vere, alleluja!

Deus, qui per resurrectionem Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, mundum laetificare dignatus es: praesta, quaesumus, ut per ejus genitricem, virginem Mariam, perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

A primis vesperis festi Trinitatis usque ad sabbatum ante Adventum:

Salve regina, mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra, salve. Ad te clamamus, exules filii Hevae. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum

benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria.

V. Ora pro nobis sancta Dei genitrix

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae virginis matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante praeparasti: da, ut, cujus commemoratione laetamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis et a morte perpetua liberemur. Per eundem Christum Dominum nostrum. men.

Exercitium pietatis

maxime ad dies dominicos celebrandos.

Symbolum s. Athanasii

diebus dominicis recitandum, ut sanctissimae Trinitatis fides et confessio in nobis stabiliatur.

Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit.

Fides autem catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur:

Neque confundentes personas neque substantiam separantes:

Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti.

Sed Patris et Filii et Spiritus sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna majestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus.

Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus et unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Dii, sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.

Quia sicut singulatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri christiana veritate compellimur: ita tres Deos aut Dominos dicere catholica religione prohibemur.

Pater a nullo est factus, nec creatus nec genitus.

Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Filii: unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales

Ita ut per omnia, sicut jam supra dictum est, et Unitas in Trinitate, et Trinitas in Unitate veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat

Sed necessarium est ad aeternam salutem, ut incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat.

Est ergo fidesrecta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius. Deus et homo est.

Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus, et homo est ex substantia matris in saeculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens.

Aequalis patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae.

Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo: ita Deus et homo unus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis.

Ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est judicare vivos et mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum cor-

poribus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam; qui vero mala, in ignem aeternum.

Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

Hymnus

ss. Ambrosii et Augustini in laudem beatissimae Trinitatis.

Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.

Te aeternum Patrem omnis terra veneratur.

Tibi omnes angeli, tibi coeli et universae potestates,

Tibi Cherubim et Seraphim incessabili voce proclamant:

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt coeli et terra majestatis gloriae tuae.
Te gloriosus apostolorum chorus.
Te prophetarum laudabilis numerus.
Te martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum sancta confitetur ecclesia.
Patrem immensae majestatis.
Venerandum tuum verum et unicum Filium.
Sanctum quoque paraclitum Spiritum.
Tu rex gloriae Christe.
Tu Patris sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti virginis uterum.
Tu devicto mortis aculeo aperuisti credentibus regna coelorum.
Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo, quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

Aeterna fac cum sanctis tuis in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hereditati tuae et rege eos et extolle illos usque in aeternum.

Per singulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.

In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum. Amen.

Ante concionem sacram.

Omnipotens Deus, qui hominem non solum ad sustentationem corporis pane vesci, sed etiam ad nutrimentum animae spirituali cibo refici voluisti: da nobis, quaeso, attentas aures ad verbum et evangelium tuum utiliter audiendum. Beati enim, qui illud audiunt atque custodiunt; nimirum ut una cum Israelitis, in hujus mundi deserto tam coelesti Manna nutriti, suos vincant hostes et ad promissam patriam recta proficiscantur.

Sit in me fames ac sitis justitiae, et verbum tuum tanquam coelestis thesaurus in mente mea recondatur, ac quasi bonum semen multiplicem adferat fructum in patientia.

Fac me Domine verbi tui non modo studiosum auditorem, sed

et factorem sedulum, ut, quod ex verbo tuo auribus accipio et credo et ore profiteor, id ipsum et opere compleam. Per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Laus sanctiss. Trinitatis.

Ego christiano nomine prorsus indignus, te Deum Patrem ingenitum, te Deum filium unigenitum, te Deum Spiritum sanctum paraclitum, ter beatam, aeternam ac individuam Trinitatem, corde et ore profiteor, laudo atque benedico. Te unum verum et omnipotentem Deum, rerum auctorem et conservatorem, a quo et ad quem omnia, supplex adoro.

Tuam immensam potentiam, tuam aeternam sapientiam, tuam incomprehensibilem bonitatem agnosco et praedico. Scio te solo nihil majus, nihil sapientius, nihil melius esse posse.

Celsitudinem et gloriam tuam coeli et angeli, mundus et elementa, tum quaecunque exsistunt, vivunt, sentiunt et operantur, multis nominibus produnt.

Jam vero quam virtutem et sapientiam et benignitatem exhibuisti in homine creando et, ubi peccato originali periit, in eo restituendo! O quantum caritati tuae debemus, tam nobiliter ad imaginem et similitudinem tuam creati, tam caro redemti pretio, tantis gratiae donis cumulati, tam excellenter ad summam coelestemque gloriam nobis a te promissam sublimandi!

Quid retribuet tibi homo, sanctissima Trinitas, pro cunctis miserationibus et beneficiis tuis in humanum genus collatis, propter caritatem tuam immensam, qua nos, etiam antequam mundus factus est, nullis meritis nostris dilexisti?

Atque praeter alia summae bonitati tuae gratias ago peculiares, quod praeclaris vereque divinis operibus hunc diem, quem jure dominicum appellamus, mirifice cohonestasti atque consecrasti: operibus, inquam, creationis, redemtionis atque sanctificationis.

Nam hoc die, qui primus est dierum omnium, praepotens dextra tua coelum et terram ex nihilo condidit. Hoc die Christus mortis, peccati Satanaeque victor, augusta resurrectione sua nobis ad beatam immortalitatem certum aditum reseravit. Hoc die Spiritus sanctus super discipulos in linguis igneis apparuit suaeque gratiae thesauros in ecclesiam primum effudit.

Benedicamus ergo Patrem et Filium cum sancto Spiritu: laudemus et superexaltemus eum in saecula. Ex quo, per quem, et

in quo omnia, ipsi gloria in saecula. Amen.

Hymnus

trium puerorum in ardenti fornace, omnes ad laudem sanctiss. Trinitatis invitans.

Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula: et benedictum nomen gloriae tuae sanctum et laudabile et superexaltatum in omnibus saeculis.

Benedictus es in templo sancto gloriae tuae et superlaudabilis et supergloriosus in saecula.

Benedictus es in throno regni tui et superlaudabilis et supergloriosus et superexaltatus in saecula.

Benedictus es, qui intueris abyssos et sedes super Cherubim,

et laudabilis et superexaltatus in saecula.

Benedictus es in firmamento coeli, et laudabilis et gloriosus in saecula.

Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite angeli Domini Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite coeli Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite aquae omnes, quae super coelos sunt, Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite omnes virtutes Domini Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite sol et luna Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite stellae coeli Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite omnis imber et ros Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite omnes spiritus Dei Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite ignis et aestus Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite frigus et aestus Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite rores et pruina Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite gelu et frigus Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite glacies et nives Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite noctes et dies Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite lux et tenebrae Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite fulgura et nubes Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicat terra Domino, laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite montes et colles Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite universa germinantia in terra Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite fontes Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite maria et flumina Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite cete et omnia, quae moventur in aquis, Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite omnes volucres coeli Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite omnes bestiae et pecora Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite filii hominum Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicat Israel Domino, laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite servi Domini Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite spiritus et animae

justorum Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite sancti et humiles corde Domino, laudate et superexaltate eum in saecula.

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus. Amen.

Gratiarum actiones,

quibus tum diebus dominicis quum aliis festis uti possis.

Ad Deum Patrem.

Altissime, potentissime ac clementissime Pater, hominum creator et amator Deus, immensae majestati tuae gratias ago, qui nos irae filios, Satanae servos ac aeternae damnationis reos, misericordiae tuae oculis respexisti et e foedissimis peccatorum nostro-

rum sordibus gravissimisque vinculis eduxisti.

Gratias ago tibi omnipotens Deus, qui propter inenarrabilem dilectionem tuam Jesum Christum unigenitum in terras de sinu tuo misisti eumque mundi redemtorem donasti perditis, nihil tale promerentibus.

Gratias ago pro sancta ejus incarnatione et nativitate, qui sicut Deus verus de Deo vero tecum ab aeterno erat, ita verus etiam homo ex homine virgineque matre genitus, mortalem et humilem naturam nostram assumpsit.

Gratias tibi ago pro ejusdem laboribus, afflictionibus, aerumnis per omnem vitam nostra causa in carne susceptis et exantlatis.

Gratias ago pro ejusdem passione, cruce et morte acerbissima, quam Agnus ipse innocens

pro peccatis nostris ex mero amore pertulit.

Gratias ago ardentissime illius caritati, per quam pretiosum sanguinem ad nos redimendos et tibi reconciliandos ubertim effudit.

Gratias ago pro illius descensu ad inferos et a mortuis resurrectione, ut mortui ad vitam perpetuam animae et corporis resuscitaremur.

Gratias ago pro miranda ejus in coelum ascensione et pro augusta sede majestatis illius ad dexteram tuam, qui et Spiritum sanctum secundum promissionem suam in filios adoptionis effudit talemque doctorem et rectorem dedit ecclesiae.

Gratias ago pro incomparabili gratia, quod, ut servum redimeres, tam dilectum Filium saevissimis hostibus tradidisti ac sacrosancto ejus sanguine nos immun-

dissimos abluisti, illudque praestare pergis, ut sacrosancto et vivifico mysterio corporis ejus quotidie in ecclesia pascamur et summae divinitatis participes efficiamur.

Gratias denique ago tibi, munificentissime Pater, qui secundum paternam misericordiam tuam nos visitare et mundum hunc totum in maligno positum ita diligere voluisti, ut unigenitum tuum illi dares mundique propitiatorem et salvatorem faceres, qui nos non solum in anima, sed etiam in corpore perfecte restitueret.

Tibi sit laus et gloria, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui tanta nos gratia cumulare et coelestem aeternamque gloriam per Filium nobis promittere non es dedignatus. Amen.

Ad Jesum Christum.

Adoro te Jesu Christe, rex regum et Domine dominantium, qui es Dominus meus et Deus meus, mundi redemtor et electorum omnium salvator, unigenitus Dei Filius, ex Patre genitus ante saecula, Deus verus de Deo vero, non factus, sed genitus, Patri et Spiritui sancto consubstantialis et coaeternus, per quem inde a principio facta sunt omnia.

Benedicta sit in coelis et terris naturae tuae divinitas aeternaque majestas, qua in principio Verbum, sapientia, lux et vita rerum omnium mirum in modum exstitisti.

Benedicta tuae carnis et naturae humanae assumptio, quum de sinu Patris in hunc mundum descendens, te ipsum pro nobis redimendis mirabiliter exinanisti

et ex integra virgine Maria concipi nascique voluisti, ut Verbum caro fieres et in nobis habitares, carnem eandem nunquam depositurus et super coeles omnes exaltaturus.

Laus tibi et gloria, amantissime Domine Jesu, pro infantia et juventute, pro aestu et frigore, pro fame et siti, pro vigiliis et jejuniis, pro laboribus et aerumnis, pro paupertate et miseria, pro itineribus et fatigationibus, pro tentationibus et hostium insidiis, pro evangelii tui praedicatione et fructu, pro misericordiae operibus et miraculis. Laus tibi et gloria pro Sacramenti sanctissimi institutione, pro sanguinei sudoris effusione, pro captivitate et flagellatione, pro passione et morte, pro sepultura et descensu ad inferos, pro resurrectione et in coelum ascensione, denique pro

plurimis et maximis suavissimae pietatis tuae miserationibus, quibus nos oriens ex alto visitasti teque viam, veritatem et vitam miseris mortalibus ex amore maximo praebuisti.

Benedicta sit insignis humilitas, paupertas, mansuetudo, patientia, obedientia et caritas tua, Jesu fidelissime, quoniam non minus exemplo quam verbo nobis praemonstrasti, qua via vitae tuae vestigia sectaremur tuaeque gloriae consortium in regno Patris assequeremur.

Benedictus amor erga nos tuus ineffabilis, per quem tam multa et magna pro nobis redimendis et salvandis effecisti, dixisti ac pertulisti, tuaque merita servis ipsis vilissimis et indignissimis applicari atque distribui voluisti.

Sit nomen tuum, o Jesu, in

saecula benedictum, qui nobis factus es mediator, propitiator, salvator et remunerator, fons idem vitae et lumen claritatis, omnibusque tibi obedientibus causa salutis aeternae.

Agnoscant te omnes et praedicent, qui tanquam pastor bonus animam tuam pro ovibus posuisti et ovem errantem, velut ex luporum faucibus ereptam, in tuam fidem ac tutelam perpetuam suscepisti tuisque humeris ad vera pascua reportare gaudes, ut suo jure tibi ac sibi mortales omnes laetissime congratulentur.

Vere tu Agnus Dei, tollens peccata mundi, dignus accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem. Redemisti enim nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione, Emmanuel,

rex et pontifex noster in saecula benedictus. Amen.

Ad Spiritum sanctum.

Adoro et glorifico te, sanctissime Spiritus, qui a Patre Filioque procedis, utrique per omnia aequalis, coaeternus et consubstantialis aeque colendus et omnipotens Deus.

Tibi laus et gratiarum actio, qui super Dominum nostrum Jesum Christum in columbae specie descendisti, et in linguis igneis super primos fideles apparuisti. Tu prophetas et apostolos instruxisti, ut divinam doctrinam multaque fidei mysteria certo cognoscerent et fideliter cum omnibus communicarent.

Tibi laus et gloria nunquam finienda, qui christianae veritatis doctor et ecclesiae catholicae rector per omnes aetates manebis.

Tu salutarem fidei unitatem et doctrinae puritatem confirmas atque adversus omnes errorum tenebras veritatis lucem defendis inextinguibilem ecclesiamque ipsam veritatis columnam et firmamentum efficis et custodis.

Benedico te, quod nobis usque maneas fidissimus advocatus et dulcissimus consolator, per quem verbum Dei in cordibus hominum efficax et frugiferum redditur, et quo duce nos omnes ecclesiae Sacramentis, velut certis aegrotorum remediis, curamur atque sanctificamur.

Quid tibi debemus, qui omnia in omnibus operaris et singulis prout vis, dona tua distribuis membraque Christi capitis in mirabili corporis mystici unitate conservas, foves ac provehis?

Ago tibi gratias maximas, quod parvulis revelas mysteria et Christi

oves, quantum ad justitiam et salutem consequendam scire sat est, unctione tua de omnibus doces et quotidie non modo peccatores justificas, sed etiam justificatos ad meliora perducis charismata, et ad bene beateque vivendum in omni virtute confirmas ac provehis.

Summis periculis nos liberas, aegros et lapsos erigis, adversus tentationes munis et armas debiles, o mundator scelerum, curator vulnerum, doctor ignorantium et Pater orphanorum.

Veni ergo, sanctissime Spiritus, neve, quod in ecclesia tua reformandum est, tu optime visitator ac reformator, docere ac reformare desinas.

Tua gratia et misericordia, sine qua nihil boni potest inchoari et perfici, nos praeveniat semper ac sequatur. Per Jesum

Christum Salvatorem, qui cum Patre in unitate tua vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Gratiarum actio pro te ipso.

Lux aeterna et bonitas infinita, Deus Pater, Deus Fili, Deus Spiritus sancte, en ego coram tua majestate prostratus et omni gratia indignus, gratias tibi maximas ago, quod a die nativitatis meae in praesentem usque diem plurima et maxima beneficia in me vilem ac ingratum contulisti, quibus et corpus et animam meam usque prosequi non dedignaris.

Nam, quae tua est beneficentia, naturam, vitam, bonam valetudinem, fortunas et vires mihi largiris, victum praeterea et vestitum aliaque vitae ac status mei rationi congruentia liberaliter subministras. Rursus quae

ad animi et spiritus bona pertinent, ea mihi cognoscenda, desideranda et amplectenda tot annos tradidisti, meamque voluntatem ad cultum tuum divinum exercendum frequenter excitas multaque praesidia et excitamenta ad bene beateque vivendum liberaliter confers.

Benedico et gratias ago tibi, sanctissima Trinitas, quod ex innumerabilibus insidiis, tentationibus, angustiis et periculis animae et corporis me toties aut praeservasti aut eripuisti: quod insuper per parentes, praeceptores, benefactores et amicos atque per sanctos angelos plurimis me beneficiis cumulasti.

Igitur adoro, laudo, ac benedico te creatorem, redemtorem ac sanctificatorem meum, quod paternam curam ac providentiam in me tuam sexcenties declarasti ac

me licet indignum et rebellem benigne sustinuisti tamque patienter hactenus ad majorem assequendam justitiam expectas.

Tibi, fonti bonorum omnium, quidquid sum, possum, habeo, debeo et pro cunctis beneficiis acceptis gratias intimas ago.

Te sanctissima Trinitas, pro me collaudent justi et sancti omnes in coelo terraque versantes et harmonia universae creaturae nomen tuum persanctum concelebret, cui omne sit imperium et decus, omnis honor et splendor, omnis virtus et gloria in saecula sempiterna. Amen.

Commendatio.

O sacrosancta Trinitas, summum aeternumque bonum, sine quo nihil boni esse potest, per omnipotentiam tuam confirma mihi

memoriam, per sapientiam tuam intellectum meum illumina, per bonitatem tuam in me reforma et perfice voluntatem, ut magnitudinem tuam rite agnoscere, pure amare et digne laudare perpetuo possim.

Tuae sanctae voluntati me jam pridem obtuli ac dicavi, et jam iterum offero et consecro, quum cupiam tuae majestatis perpetuum esse mancipium atque ejus nutui per omnia obsecundare.

In manus tuas commendo, quam possum maxime, consilia et opera mea, spiritum, animam et corpus meum, sensus et membra, vitam ac mortem meam. Tua solum accedat benedictio, quae justos, sanctos et beatos efficit et diligentibus Deum in bonum vertit omnia.

Converte me ad te, o coelestis artifex, ut, quod opus in me coe-

pisti, id conserves et absolvas meque totum hominem novum facias, ut sim obediens filius Patris et servus fidelis Filii et discipulis humilis Spiritus sancti, mundo mihique mortuus, ac tibi soli cum sancto apostolo vivens.

Tu, qui potes omnia, renova mihi spiritum, illumina intellectum, sanctifica mentem, corporis ac animi vires auge, ut ex te solo pendeam, te super omnia timeam et amem tuamque in omnibus faciam voluntatem.

Praeterea fidissimae providentiae, quae cuncta ubique moderatur atque disponit, commendo meos parentes, magistratus, benefactores, amicos, familiares, ac alios, pro quibus orare debeo, ut illis et nobis gratia tua efficax opituletur.

Aspice hunc locum et praesentem rempublicam atque con-

gregationem, o Pater misericordiarum, et per Christum Dominum in unitate Spiritus sancti nos a peccatis et peccatorum poenis libera.

Catholicos in orthodoxa fide confirma, infestos ecclesiae hostes reprime, afflictos omnes consolare, incredulos et haereticos ad veram fidem converte.

Horum temporum graves motus compone, pacem optatam restitue vivisque gratiam ac mortuis fidelibus requiem optatam praesta, ut in nobis et per nos perfecte glorificeris Deus trinus et unus. Amen.

Exercitium pietatis praecipuis ecclesiae diebus festis.

Precationes in Adventu Domini.

Suscipe verbum, virgo Maria, quod tibi a Domino per angelum nunciatum est: omnes omnium nationum mortales te beatam praedicabunt et sub tuam tutelam confugient.

Suscipe mandatum, quo eum parere juberis, qui homines peccato primario iufectos ex Dei, optimi, Maximi, consulto purgare et in pristinum statum integrum restituere designatus est.

Gaude, Maria virgo, quia per te terrae facies est renovanda.

Oratio ecclesiae.

Deus, qui de beatae Mariae virginis utero Verbum tuum, angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: praesta supplicibus tuis, ut qui vere eam genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Festo Christi Nativitatis.

Hodie nobis de coelo pax vera descendit.

Hodie per totum mundum melliflui facti sunt coeli.

Hodie illuxit nobis dies redemtionis nostrae, reparationis pristinae, felicitatis aeternae.

Hodie nobis coelorum rex de virgine nasci dignatus est, ut hominem perditum ad coelestia regna revocaret.

Gaudet exercitus angelorum, quia salus aeterna humano generi apparuit.

Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Alleluja.

Oratio ecclesiae.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut nos Unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet. Qui tecum vivit et regnat etc.

Ad Mariam sanctissimam puerperam.

Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio, quia quem coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

Benedicta et venerabilis es virgo Maria, quae sine tactu pudoris inventa es mater salvatoris.

Nesciens mater virgo virum, peperit sine dolore salvatorem saeculorum: ipsum regem angelorum sola virgo lactabat ubere de coelo pleno.

V. Post partum virgo inviolata permansisti:

R. Dei genitrix intercede pro nobis.

Oratio ecclesiae.

Deus, qui salutis aeternae beatae Mariae virginitate foecunda humano generi praemia praestitisti; tribue, quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Amen.

Festo Circumcisionis Domini.

Ave pulcherrime, innocentissime et dulcissime puer, qui de

matre virgine in mundum natus et octavo die sub Moysi lege circumcisus pretiosum sanguinem tuum pro nobis primum effudisti ac sacrosancto Jesu nomine, quod est super omne nomen, insigniri voluisti.

Rogo te, salvator piissime, ut a vitiis omnibus tua gratia circumcidar ac veram consequar innocentiam tuique profusi sanguinis et gloriosi nominis virtute muniar ac defendar.

Precor etiam, ut hunc novum annum, quem hodie auspicamur, mihi et amicis totique ecclesiae tranquillum et felicem esse concedas. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula. Amen.

De ter venerando Jesu nomine.

Benedictum sit nomen Jesu, impositum ab angelo, inde ab aeterno Messiae divinitus reservatum, coelestibus spiritibus reverendum, hominibus maxime salutare et fructuosum, piis dulce et amabile.

Et inter omnia sanctorum nomina inprimis gloriosum ac honorabile solisque daemonibus terribile et adversum, in quo genu omne flecitur, coelestium, terrestrium et infernorum.

V. Sit nomen Domini benedictum in saecula:

R. Ante solem permanet nomen ejus.

Oratio.

Deus, qui gloriosissimum nomen Jesu Christi, unigeniti tui ac Domini nostri, tuis fidelibus

summae suavitatis affectu amabile et malignis spiritibus tremendum atque terribile reddidisti: concede propitius, ut omnes, qui hoc nomen Jesu devote venerantur in terris, sanctae consolationis dulcedinem in praesenti percipiant, et in futuro gaudium exultationis et interminabilis beatitudinis obtineant in coelis. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Huc spectat litania de nomine Jesu, quam alibi positam reperies.

Festo Epiphaniae.

Tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus.

Hodie stella magos duxit ad praesepium.

Hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias.

Hodie in Jordane a Joanne Christus baptizari voluit, ut salvaret nos, alleluja.

Ante luciferum genitus et ante saecula Dominus, salvator noster hodie mundo apparuit, alleluja.

V. Ambulabunt gentes in lumine tuo:

R. Et reges in splendore ortus tui.

Oratio ecclesiae.

Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum gentibus stella duce revelasti, concede propitius, ut, qui te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuae celsitudinis perducamur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Amen.

De sanctis magis vel tribus regibus.

Stella, quam viderant reges in Oriente, antecedebat eos, donec venirent ad locum, ubi puer erat.

Videntes autem eam, gavisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus.

Et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham.

Salutis nostrae auctorem Magi venerati sunt in cunabulis et de thesauris suis mysticas ei munerum species obtulerunt.

Oratio.

Deus, qui tres Magos orientales sanctosque reges Casparum, Melchiorem et Balthasarum, ut recens natum in Bethlehem Filium tuum inviserent ac honorarent, mirabiliter illustrasti: tribue nobis, quaesumus, ut eorum exemplo et intercessione adjuti veraque fide in hujus mundi tenebris illuminati te lumen aeternum agnoscamus

atque inter prospera et adversa tuto gradiamur, donec ad te, qui lucem habitas inaccessibilem, remotis impedimentis omnibus expedite perveniamus. Per Dominum etc.

Festo purificatae Virginis Matris.

Hodie beata virgo Maria puerum Jesum praesentavit in templo et Simeon repletus Spiritu sancto accepit eum in ulnas suas et benedixit Deum, dicens:

Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum Domine.

Senex puerum portabat, puer autem senem regebat, quem virgo concepit, virgo peperit et post partum virgo permanens, ipsum, quem genuit, adoravit.

Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, accepit eum Si-

meon in ulnas suas et benedixit Deum.

Oratio ecclesiae.

Omnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam supplices exoramus, ut sicut unigenitus Filius tuus hodierna die cum nostrae carnis substantia in templo est praesentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus praesentari. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum etc. Amen.

Tempore sacrae Quadragesimae.

Advenerunt nobis dies poenitentiae ad redimenda peccata, ad salvandas animas.

Commendemus nosmetipsos in multa poenitentia, in jejuniis multis per arma justitiae.

V. Jejunemus et ploremus ante Dominum:

R. Quia multum misericors est dimittere peccata nostra.

Oratio ecclesiae.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris et concede, ut hoc solenne jejunium, quod animis corporibusque curandis institutum est, devoto servitio celebremus.

Jejunia nostra, quaesumus, Domine benigno favore prosequere, ut sicut ab alimentis abstinemus in corpore, ita a vitiis jejunemus in mente. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

Festo annunciationis beatae Virginis Mariae.

Haec est dies, quam fecit Dominus.

Hodie Dominus afflictionem populi sui respexit et redemtionem misit.

Hodie mortem, quam femina intulit, femina fugavit.

Hodie Deus homo factus, id quod erat permansit, et quod non erat assumpsit.

Ergo exordium nostrae redemtionis devote recolamus et exultemus, dicentes: Gloria tibi Domine.

V. Angelus Domini nunciavit Mariae:

R. Et concepit de Spiritu sancto.

Oratio ecclesiae.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae virginis matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante praeparasti: da ut cujus commemoratione laetamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis et a morte perpetua liberemur.

Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

A dominica Passionis usque ad Pascha.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus: qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti, ut, unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur, per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

O Crux ave spes unica, hoc passionis tempore: auge piis justitiam reisque dona veniam.

O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.

V. Proprio Filio non pepercit Deus:

R. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Oratio.

Obsecro te, Domine Jesu Christe, ut passio tua sit virtus mea, qua muniar et defendar; vulnera tua sint mihi cibus et potus, quibus inebrier et delecter; aspersio sanguinis tui sit peccatorum meorum ablutio; mors tua sit mihi gloria sempiterna.

Oportuit Filium hominis multa pati et Patri suo in cruce offerre vitam, ut nos viveremus.

O Crux gloriosa et adoranda: o lignum pretiosum et admirabile signum, per quod diabolus est victus ac mundus Christi sanguine redemtus Deoque Patri reconciliatus.

Oratio.

Deus, qui in vexillo sanctae crucis de nostris hostibus triumphasti atque in illa sanguinis Filii tui effusione genus humanum redimere dignatus es: tribue quaesumus, ut qui in tua cruce gloriamur, nunquam iterum peccati jugo et potestati Satanae subjiciamur, sed peccatis mortui, nostram quoque crucem patienter feramus et tecum in gloria perpetuo conregnemus. Amen

De beatissima Virgine
suo filio passionis tempore compatiente.

Ave dulcissima et moestissima Domini nostri Mater, cujus animam dirus doloris gladius a justo Simeone praedictus pertransivit, maxime cum carissimum filium ab impiis hostibus captum et vinctum

immaniterque cruciatum cognosceres, sed et crucis patibulo affixum et morientem coram aspiceres, ac mortuum praeterea contrectares, gravissimis ejus doloribus intime semper compassa.

V. In omni tribulatione et angustia nostra:

R. Intercede pro nobis piissima virgo Maria.

Oratio.

Interveniat pro nobis, Domine Jesu Christe, et consolationem usque optatam impetret virgo Maria genitrix tua fidelissima, cujus animam, licet innocentem, in hora passionis et mortis tuae doloris gladius acutissimus pertransivit. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Sancto Paschate.

Victimae paschali laudes immolent Christiani.

Agnus redemit oves, Christus innocens Patri reconciliavit peccatores.

Mors et vita duello conflixere mirando, dux vitae mortuus regnat vivus.

Dic nobis Maria, quid vidisti in via? Sepulchrum Christi viventis et gloriam vidi resurgentis.

Angelicos testes, sudarium et vestes.

Surrexit Christus spes mea, praecedet vos in Galilaeam.

Scimus Christum surrexisse a mortuis vere, tu nobis victor rex miserere. Amen. Alleluja.

Haec dies, quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea. Alleluja.

V. In resurrectione tua Christe:
R Coelum et terra laetentur.

Oratio ecclesiae.

Deus, qui hodierna die per Unigenitum tuum aeternitatis nobis aditum devicta morte reserasti, vota nostra, quae praeveniendo adspiras, etiam adjuvando prosequere.

Deus, qui nos resurrectionis Dominicae annua solemnitate laetificas, concede propitius, ut per temporalia festa, quae agimus, pervenire ad gaudia aeterna mereamur. Per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Festo Ascensionis Domini.

O rex gloriae, Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes coelos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos, sed mitte

promissum Patris in nos Spiritum veritatis, alleluja.

V. Ascendens Christus in altum, alleluja:

R. Captivam duxit captivitatem, alleluja.

Oratio ecclesiae.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui hodierna die unigenitum tuum redemtorem nostrum ad coelos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in coelestibus habitemus. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Sancto Pentecoste.

Hodie completi sunt dies Pentecostes, alleluja.

Hodie Spiritus sanctus in igne discipulis apparuit et tribuit eis charismatum dona ac misit eos in universum mundum praedicare

et testificari: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, alleluja.

Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende, qui per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei congregasti, alleluja.

V. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur:

R. Et renovabis faciem terrae.

Oratio

Deus, qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de ejus semper consolatione gaudere.

Adsit nobis, quaesumus, Domine, virtus Spiritus sancti, quae et corda nostra clementer expurget et ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum nostrum etc.

Festo sanctissimae Trinitatis.

Gratias tibi Deus, gratias tibi vera et una Trinitas, una et summa Deitas, sancta et una unitas: benedicta sit sancta creatrix et gubernatrix omnium, sancta et individua Trinitas, nunc et semper et per infinita saecula saeculorum.

Benedictus sit Deus Pater unigenitusque Dei Filius, sanctus quoque Spiritus, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Oratio ecclesiae.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere et in potentia majestatis adorare unitatem, quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis.

Custodiat me sempiterna Deitas, defendat me immensa Trinitas, dirigat me inaestimabilis bonitas, regat me potentia Patris, vivificet me sapientia Filii, illuminet me virtus Spiritus sancti. Sit mihi ista invocatio salus et protectio, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Adjunge ter precationem dominicam, et symbolum apostolorum, sive, quod praecessit, Athanasii.

In solennitate sacratissimi Corporis Christi.

Ecce panis angelorum, factus cibus viatorum, vere panis filiorum, non mittendus canibus.

In figuris praesignatur, quum Isaac immolatur, agnus Paschae deputatur, datur manna patribus.

Bone Pastor, panis vere, Jesu nostri miserere, tu nos pasce, nos

tuere, tu nos bona fac videre in terra viventium, alleluja.

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur, alleluja.

V. Panem de coelo praestitisti eis, alleluja:

R. Omne delectamentum in se habentem, alleluja.

Oratio ecclesiae.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti, tribue, quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemtionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

Adjunge hymnum et litanias de sacrosancto Eucharistiae sacramento, quas invenies infra.

Festo eximio apostolorum Petri et Pauli.

Hodie Simon Petrus ascendit crucis patibulum, alleluja.

Hodie clavicularius regni gaudens migravit ad Christum.

Hodie Paulus apostolus, lumen orbis terrae, inclinato capite pro Christi nomine martyrio coronatus est, alleluja.

Petrus apostolus, et Paulus, doctor gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam, Domine.

V. In omnem terram exivit sonus eorum:

R. Et in fines orbis terrae verba eorum.

Oratio ecclesiae.

Deus, qui hodiernum diem apostolorum tuorum Petri et Pauli martyrio consecrasti, da ecclesiae tuae eorum in omnibus sequi praeceptum, per quos religionis sumpsit

exordium. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Amen.

Festo assumptionis beatissimae Virginis.

Hodie Maria virgo coelos ascendit: gaudete, quia cum Christo regnat in aeternum.

Exultata est sancta Dei genitrix super chorus angelorum ad coelestia regna.

V. Maria virgo assumpta est ad aethereum thalamum:

R. In quo rex regum stellato sedet solio.

Oratio.

Veneranda nobis, quaesumus, Domine, hujus diei festivitas opem conferat salutarem, in qua sancta Dei genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus

deprimi potuit, quae Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum ex se genuit incarnatum.

Supplicationem servorum tuorum Deus apud tuam clementiam Mariae virginis et genitricis commendet oratio, quam idcirco de praesenti saeculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter ac efficaciter intercedat. Per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum. Amen.

Alias precationes ad beatissimam virginem invocandam alibi reperies.

Festo Nativitatis beatissimae Mariae Virginis.

Nativitas tua Dei genitrix virgo, gaudium annunciavit universo mundo; ex te enim ortus est sol justitiae Christus Deus noster, qui solvens maledictionem dedit benedictionem, et confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam.

V. Cum jucunditate nativitatem beatae Mariae celebremus:

R. Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

Oratio ecclesiae.

Famulis tuis, quaesumus Domine, coelestis gratiae munus impertire, ut, quibus beatae Mariae virginis partus exstitit salutis exordium, nativitatis ejus votiva solennitas pacis tribuat incrementum.

Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa beatae Mariae semper virginis intercessione a praesenti liberari tristitia et aeterna perfrui laetitia. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Amen.

Festo die Sanctorum omnium.

Angeli, archangeli, throni, dominationes, principatus, potestates,

virtutes coelorum, Cherubim atque Seraphim, patriarchae et prophetae, sancti legis doctores, apostoli, omnes Christi martyres sancti confessores, virgines Domini, anachoritae Sanctique omnes, intercedite pro nobis!

O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes sancti! amicti stolis albis sequuntur Agnum, quocunque ierit.

Sancta Maria et omnes sancti intercedant pro nobis ad Dominum, ut mereamur ab eo adjuvari et salvari, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Oratio ecclesiae.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium sanctorum tuorum merita sub una tribuisti celebritate venerari; quaesumus, ut desideratam nobis tuae propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris.

Magnificet te, Domine, sanctorum tuorum omnium beata solennitas, qua et illis gloriam sempiternam, et opem nobis salutarem ineffabili providentia contulisti. Per Dominum etc.

Ad festum immaculatae conceptionis beatissimae Virginis inferius positum officium proprium cum orationibus invenies.

Litaniae plerumque usitatae,

nec non hymni diversaeque preces.

Litania de sanctissimo sacramento.

Kyrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison,
Christe audi nos,
Christe exaudi nos,
Pater de coelis Deus,
Fili redemtor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Panis vivus, qui de coelo descendisti,
Deus absconditus et salvator,
Frumentum electorum,
Vinum germinans virgines,
Panis pinquis et deliciae regum,
Juge sacrificium,

(Pater de coelis Deus … Juge sacrificium:) miserere nobis!

Oblatio munda,
Agnus absque macula,
Mensa purissima,
Angelorum esca,
Manna absconditum,
Memoria mirabilium Dei,
Panis supersubstantialis,
Verbum caro factum,
Habitans in nobis,
Hostia sancta,
Calix benedictionis,
Mysterium fidei,
Praecelsum et venerabile sacramentum,
Sacrificium omnium sanctissimum,
Vere propitiatorium pro vivis et defunctis,
Coeleste antidotum, quo a peccatis praeservemur,
Stupendum supra omnia miraculum,
Sacratissima dominicae passionis commemoratio,

} miserere nobis!

Donum transcendens omnem plenitudinem,
Memoriale praecipuum divini amoris,
Divinae affluentia largitatis,
Sacrosanctum et augustissimum mysterium,
Pharmacum immortalitatis,
Tremendum ac vivificum sacramentum,
Panis omnipotentia verbi caro factus,
Incruentum sacrificium,
Cibus et conviva,
Dulcissimum convivium, cui assistunt angeli ministrantes,
Sacramentum pietatis,
Vinculum caritatis,
Offerens et oblatio,
Spiritualis dulcedo in proprio fonte degustata,
Refectio animarum sanctarum.
Viaticum in Domino morientium,
Pignus futurae gloriae,

} miserere nobis!

Propitius esto, parce nobis Domine!
Propitius esto, exaudi nos Domine!
Ab indigna corporis et sanguinis tui susceptione, libera nos Domine!

A concupiscentia carnis,
A concupiscentia oculorum,
A superbia vitae,
Ab omni peccandi occasione,
Per desiderium illud, quo hoc pascha cum discipulis manducare desiderasti,
Per summam humilitatem, qua discipulorum pedes lavasti,
Per ardentissimam caritatem, qua hoc divinum sacrificium instituisti,
Per sanguinem tuum pretiosum, quem nobis in altari reliquisti,
Per quinque vulnera hujus tui corporis sacratissimi, quae pro nobis suscepisti,

} libera nos Domine!

Peccatores, te rogamus, audi nos!

Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut nobis fidem, reverentiam et devotionem hujus admirabilis sacramenti augere et conservare digneris:
Ut ad frequentem usum eucharistiae per veram peccatorum confessionem nos perducere digneris:
Ut nos ab omni haeresi, perfidia ac cordis caecitate liberare digneris:
Ut sanctissimi hujus sacramenti pretiosos et coelestes fructus nobis impertire digneris:
Ut in hora mortis nostrae hoc coelesti viatico nos confortare et munire digneris:
Ut nos exaudire digneris,
Fili Dei,

te rogamus, audi nos!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis!
Christe audi nos, Christe exaudi nos!

Pater noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem:

R. Sed libera nos a malo.

V. Domine exaudi orationem meam:

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti! tribue, quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemtionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Oratio ad Salvatorem!

O Christe Jesu, dulcis et unicus amor meus, oculis piissimae misericordiae tuae respice me indignissimum coram te humiliter prostratum et peccatorum meorum toto animo veniam petentem. O unica et vera fiducia animae meae, Christe Jesu, te laudo, te amo, te adoro, te deprecor, ut hac hora te Deo Patri pro multis peccatis meis offeras, sicut te in cruce pro totius terrarum orbis reatibus obtulisti.

Salve Christe Jesu, sub hac panis specie vere praesens, te adoro eo cultu et reverentia, qua omnes angelorum chori te venerantur et colunt. Firmissime credo, te Deum meum hic praesentem esse et hoc panis specie non solum corpus et sanguinem tuum sed etiam deitatem tuam contineri. Esto mecum vivente et morituro. Amen.

Hymnus ad sanctissimum sacramentum.

Pange lingua gloriosi
Corporis mysterium
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus,
Ex intacta virgine,
Et in mundo conversatus
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supremae nocte coenae
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae
Se dat suis manibus.

Preisgesang auf das allerheiligste Altarssakrament.

Preiset, Lippen, das Geheimniß
Dieses Leibs voll Herrlichkeit
Und des unschätzbaren Blutes,
Das, zum Heil der Welt geweiht,
Jesus Christus hat vergossen,
König aller Wesenheit.

Uns gegeben, uns geboren
Von der Jungfrau keusch und rein,
Ist auf Erden er gewandelt,
Saat der Wahrheit auszustreu'n;
Und am Ende seines Lebens
Setzt er dieses Wunder ein.

In der Nacht beim letzten Mahle,
Wo er mit der Jüngerschaar
Nach der Vorschrift des Gesetzes
Bei dem Osterlamme war,
Gab mit eigner Hand den Seinen
Er sich selbst zur Speise dar.

Verbum caro, panem verum
Verbo carnem efficit,
Fitque sanguis Christi merum,
Et si sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.

Tantum ergo sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui,
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.

Genitori genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio,
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

Und das Wort, das Fleisch ist, kehret
Durch sein Wort in Fleisch das Brod,
Und in Christi Blut verkläret
War der Wein, weil er's gebot;
Hier Gefühl und Sinn nichts lehret,
Nur der Glaub' allein ist noth.

Laßt uns tiefgebeugt verehren
Dies erhab'ne Sakrament!
Und der Brauch der alten Lehren
Weich' dem neuen Testament.
Voller Glaube wird gewähren
Was der Sinn hier nicht erkennt.

Gott dem Vater, Gott dem Sohne
Singet, Christen, hocherfreut!
Gott dem Geiste, gleicher Größe,
Gleicher Kraft und Herrlichkeit,
Sei von uns auf gleiche Weise
Ehre, Lob und Preis geweiht. Amen.

Hymnus ad salvatorem eucharisticum!

Lauda Sion salvatorem,
Lauda ducem et pastorem
  In hymnis et canticis.
Quantum potes, tantum aude,
Quia major omni laude,
  Nec laudare sufficis.

Laudis thema specialis,
Panis vivus et vitalis
  Hodie proponitur,
Quem in sacrae mensa coenae
Turbae fratrum duodenae
  Datum non ambigitur.

Sit laus plena, sit sonora,
Sit jucunda. sit decora
  Mentis jubilatio.
Dies enim solemnis agitur,
In qua mensae prima recolitur
  Hujus institutio.

Preisgesang auf den Erlöser im allerheiligsten Sakrament.

Deinem Heiland, Deinem Lehrer,
Deinem Hirten und Ernährer,
Sion, stimm ein Loblied an!
Preis nach Kräften seine Würde,
Da kein Lobspruch, keine Zierde
Seiner Größe gleichen kann.

Dieses Brod sollst Du erheben,
Welches lebt und gibt das Leben,
Das man heut' den Christen zeigt;
Dieses Brod, das einst im Saale
Christus bei dem Abendmahle
Den zwölf Jüngern hat gereicht.

Laut soll unser Lob erschallen,
Unser Herz in Wonne wallen;
Kund werd' uns're Freudigkeit!
Denn der Tag wird heut' gefeiert,
Wo alljährlich wird erneuert
Jenes Mahles Festlichkeit.

In hac mensa novi regis,
Novum pascha novae legis
  Phase vetus terminat,
Vetustatem novitas,
Umbram fugit veritas,
  Noctem lux eliminat.

Quod in coena Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
  In sui memoriam.
Docti sacris institutis,
Panem, vinum in salutis
  Consecramus hostiam.

Dogma datur christianis,
Quod in carnem transit panis,
  Et vinum in sanguinem.
Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides
  Praeter rerum ordinem.

Sub diversis speciebus,
Signis tantum et non rebus
  Latent res eximiae.

Statt des unvollkomm'nen alten
Jüd'schen Osterlamm's, erhalten
Wir ein neues Sakrament.
Seht! der Wahrheit muß das Zeichen,
Und die Nacht dem Lichte weichen,
Alles Alte geht zu End'!

Was von Jesus dort geschehen,
Was wir so wie Er begehen,
Mahnet uns an Seinen Tod.
Und ihn würdig zu verehren
Nach der Vorschrift seiner Lehren,
Weihen wir Ihm Wein und Brod.

Doch wie uns der Glaube lehret,
Wird das Brod in Fleisch verkehret,
Und in Christi Blut der Wein;
Was dabei das Aug' nicht siehet,
Dem Verstande selbst entfliehet,
Sieht der feste Glaube ein.

Unter zweierlei Gestalten
Ist das Höchste hier enthalten,
Das im Zeichen uns erscheint.

Caro cibus, sanguis potus,
Manet tamen Christus totus
Sub utraque specie.

A sumente non concisus,
Non confractus, non divisus,
Integer accipitur.
Sumit unus, sumunt mille:
Quantum isti, tantum ille:
Nec sumptus consumitur.

Sumunt boni, sumunt mali,
Sorte tamen inaequali,
Vitae vel interitus.
Mors est malis, vita bonis;
Vide paris sumptionis
Quam sit dispar exitus!

Fracto demum sacramento,
Ne vacilles sed memento,
Tantum esse sub fragmento,
Quantum toto tegitur.
Nulla rei fit scissura,
Signi tantum fit fractura,
Qua nec status nec statura
Signati minuitur.

Blut der Trank und Fleisch die Speise
Und doch unzertheilter Weise
Christi Fleisch und Blut vereint.

Wer zu diesem Gastmahl eilet,
Nimmt ihn ganz und ungetheilet,
Jesum Christum unversehrt.
Einer kommt und Tausend kommen,
Doch hat keiner mehr genommen,
Er bleibt immer unverzehrt!

Fromme kommen, Böse kommen,
Alle haben ihn genommen,
Die zum Leben, die zum Tod.
Bösen wird er Straf' und Hölle,
Frommen ihres Heiles Quelle,
So verschieden wirkt dieß Brod.

Siehst das Sakrament Du brechen,
Laß Dir's nicht den Glauben schwächen,
Auch im Theil ist Jesus Christ.
Nicht das Wesen kann man spalten,
Theilen siehst Du die Gestalten,
Aber Jesum Christum nicht.

Ecce panis angelorum,
Factus cibus viatorum,
Vere panis filiorum
  Non mittendus canibus.

In figuris praesignatur,
Cum Isaak immolatur:
Agnus paschae deputatur,
  Datur manna patribus.

Bone pastor, panis vere,
Jesu, nostri miserere,
Tu nos pasce, nos tuere,
Tu nos bona fac videre
  In terra viventium.
Tu, qui cuncta scis et vales,
Qui nos pascis hic mortales:
Tuos tibi commensales,
Cohaeredes et sodales
  Fac sanctorum civium. Amen.

Christen seht die Engelspeise,
Deren auf der Pilgerreise
Dieses Lebens wir uns freu'n.
Sehet hier das Brod der Kinder,
Der Gerechten, nicht der Sünder,
Die des Heilands Tisch entweih'n.

In Vorbildern ist's bedeutet:
Als zum Opfer Isaak schreitet,
Wird's figürlich angezeigt.
In des Osterlammes Tode,
Wie auch in dem Mannabrode,
Das den Vätern Gott gereicht.

Guter Hirt! Du wahre Speise!
Jesu, stärke uns zur Reise
In des Himmels selig Reich:
Nähr' uns hier im Thränenthale,
Ruf uns dort zum Freudenmahle,
Mach uns Deinen Heil'gen gleich.

Amoris suspirium.

O Deus! ego amo te.
Nec amo te, ut salves me
Aut quia non amantes te
Aeterno punis igne.

Tu, tu, mi Jesu! totum me
Amplexus es in cruce,
Tulisti clavos, lanceam,
Multamque ignominiam,

Innumeros dolores,
Sudores et angores,
Ac mortem; et haec propter me
Ac pro me peccatore.

Cur igitur non amem te,
O Jesu amantissime!
Non ut in coelo salves me;
Aut ne aeternum damnes me.

Sed sicut tu amasti me,
Sic amo et amabo te,
Solum quia Rex meus es
Et solum, quia Deus es. Amen.

Liebesseufzer.

O du mein Gott, ich liebe Dich,
Nicht daß Du selig machest mich,
Auch nicht, weil, die nicht lieben Dich,
Im Feuer büßen ewiglich.

Die Lieb', so ich zu Dir gefaßt,
Du selbst in mir erwecket hast,
Da Du am Kreuz, o Jesu mein,
Für mich ertrugst all' Angst und Pein.

Ach wie viel Thränen, Schweiß und Blut
Gabst Du für mich, o höchstes Gut;
Den Tod sogar gelitten hast,
Allein um meine Sündenlast.

Wie sollt' denn ich nicht lieben Dich,
Da Du so sehr geliebet mich!
Ich liebe Dich aus Lieb' allein,
Sollt' auch kein Höll' und Himmel sein.

Wie Du mich liebst, so lieb' ich Dich,
Und will Dich lieben ewiglich!
Allein, weil Du mein König bist,
Mein Gott und Herr, o Jesus Christ.

Amen.

Litania de sanctissimo nomine Jesu.

Kyrie eleison!
Christe eleison!
Kyrie eleison!
Christe audi nos!
Christe exaudi nos!
Pater de coelis Deus, miserere nobis!
Fili redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Jesu Fili Dei vivi,
Jesu potentissime,
Jesu fortissime,
Jesu perfectissime,
Jesu gloriosissime,
Jesu mirifice,
Jesu jucundissime,
Jesu clarissime,
Jesu clarior sole,
Jesu pulchrior luna,
Jesu splendidior stellis,

} miserere nobis, o Jesu!

Jesu admirabilis, Jesu delectabilis, Jesu honorabilis, Jesu humillime, Jesu pauperrime, Jesu mitissime, Jesu patientissime, Jesu obedientissime, Jesu castissime, Jesu amator pacis, Jesu speculum vitae, Jesu exemplar virtutum, Jesu decus morum, Jesu zelator animarum, Jesu refugium nostrum, Jesu pater pauperum, Jesu consolator afflictorum, Jesu thesaurus fidelium, Jesu gemma pretiosa, Jesu armarium perfectionis, Jesu bone pastor ovium, Jesu stella maris, Jesu lux vera, Jesu sapientia aeterna,	miserere nobis, o Jesu!

Jesu bonitas infinita,
Jesu gaudium angelorum,
Jesu rex patriarcharum,
Jesu inspirator prophetarum,
Jesu magister apostolorum,
Jesu doctor evangelistarum,
Jesu fortitudo martyrum,
Jesu lumen confessorum,
Jesu sponse virginum,
Jesu corona sanctorum omnium,
} miserere nobis, o Jesu!

Propitius esto, parce nobis Jesu!
Propitius esto, exaudi nos Jesu!
Ab omni malo, libera nos Jesu!

Ab omni peccato,
Ab ira tua,
Ab insidiis diaboli,
A peste, fame et bello,
A transgressione mandatorum tuorum,
Ab incursu omnium malorum,
Per incarnationem tuam,
Per adventum tuum,
Per nativitatem tuam,
Per circumcisionem tuam,
} libera nos Jesu!

Per dolores tuos,
Per flagella tua,
Per mortem tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,
Per dulcissimam virginem matrem tuam,
Per intercessionem omnium sanctorum tuorum,

} libera nos Jesu!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Jesu!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Jesu!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis Jesu!
Christe audi nos!
Christe exaudi nos!

Pater noster.

V. Et ne nos inducas in tentationem:

R. Sed libera nos a malo.

V. Sit nomen Domini benedictum:

R. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

V. Domine exaudi orationem meam:

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui gloriosissimum nomen Jesu Christi Filii tui, Domini nostri, fecisti fidelibus tuis summo suavitatis affectu amabile et malignis spiritibus tremendum atque terribile, concede propitius, ut omnes, qui hoc nomen Jesu devote venerantur in terris, sanctae consolationis dulcedinem in praesenti percipiant, et in futuro gaudium exultationis et interminabilis beatitudinis obtineant in coelis. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Alia oratio ad Jesum.

O dulcissime Domine Jesu Christe! verus Deus, qui a Patre omnipotenti missus es ad peccata relaxanda, afflictos redimendos, positos in carcere solvendos, lugentes et dolentes consolandos: dignare, Domine Jesu, ab afflictione et tribulatione, quibus propter peccata mea affectus sum, absolvere me, famulum tuum, et liberare

Propter labores et dolores, quos pro nobis miseris subiisti, rogo te, ut me famulum tuum custodias ab hoste maligno et omni periculo praesenti et futuro. Per nomen tuum salvificum oro te, o Jesu, ut mihi gratiam tuam praestes ad munera mea obeunda et ut omnia impedimenta, quae excolendae menti et animo obstant, tua benignitate amovere digneris. Qui vivis et regnas in saecula. Amen.

Hymnus s. Bernardi de sanctissimo nomine Jesu.

Jesu, dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia,
Sed super mel et omnia
Ejus dulcis praesentia.

Nil canitur suavius,
Auditur nil jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus, Dei Filius.

Jesus spes poenitentibus,
Quam pius es petentibus?
Quam bonus te quaerentibus?
Sed quid invenientibus?

Nec lingua valet dicere,
Nec litera exprimere,
Expertus potest credere
Quid sit Jesum diligere.

Preisgesang des hl. Bernhard auf den heiligsten Namen Jesu.

O Jesu, Quell der Süßigkeit,
Wer Dein nur denkt, ist schon erfreut;
Doch süßer, als was süß kann sein,
Ist's bei Dir selbst, o Jesu mein.

Kein Lied so süß zum Herzen dringt,
Kein Klang, kein Ton so lieblich klingt,
So wonnig kein Gedanke ist,
Als Gottes Sohn, Herr Jesus Christ.

Dem Sünder bist du Trost und Ruh,
Wer Dich begehrt, dem rufst Du zu,
Wer Dich nur sucht, der hat Dich schon,
Und wer Dich find't, o welch ein Lohn!

Kein Mund es je aussprechen kann,
Kein Wort, kein Lied kann's zeigen an;
Nur wer's erfährt, der weiß dabei,
Was Jesum lieben Süßes sei.

Jesu, rex admirabilis,
Es triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.

Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet caritas.

Jesu dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium
Et omne desiderium.

Jesum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite,
Jesum ardenter quaerite,
Quaerendo inardescite

Jesu, decus angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar coelicum.

O König, groß und wunderbar,
Erlauchter Sieger in Gefahr!
O unnennbare Süßigkeit —
Mein einz'ger Wunsch für alle Zeit!

Kommst du in unser Herz hinein,
So leuchtet ihm die Wahrheit ein;
Die Welt als eitel es erkennt,
Und innerlich die Liebe brennt.

Jesu, der Herzen Süßigkeit,
Du Quell, der Licht dem Geist verleiht,
Gen Deine Lust ist Alles schwach,
Was sonst der Mensch nur wünschen
mag.

Macht, daß ihr Alle Ihn erkennt,
Daß euer Herz zu ihm entbrennt!
Ja, suchet ihn mit starkem Trieb,
Denn so entflammet sich die Lieb'.

O Zier der Engel, Jesus Christ,
Dem Ohr ein süßer Klang Du bist,
Dem Mund' ein Honig wunderbar,
Für's Herz ein himmlischer Nektar!

Qui te gustant, esuriunt,
Qui bibunt, adhuc sitiunt,
Desiderare nesciunt,
Nisi Jesum, quem diligunt.

O Jesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animae,
Te quaerunt piae lacrimae
Et clamor mentis intimae.

Mane nobiscum, Domine;
Et nos illustra lumine,
Pulsa mentis caligine,
Mundum reple dulcedine.

Te nostra, Jesu, vox sonet,
Nostri te mores exprimant,
Te corda nostra diligant,
Et nunc et in perpetuum. Amen.

Die von Dir essen, hungern noch,
Die von Dir trinken, dursten noch,
Denn sie verlangen ganz allein
Nach Dir, o liebster Jesu mein!

O Jesu meine Süßigkeit,
Hoffnung der Seel', die nach Dir schreit,
Die frommen Thränen suchen Dich,
Dich ruft das Herz so inniglich.

Bleib bei uns, Herr, verlaß uns nicht,
Erleuchte uns mit Deinem Licht,
Treib' aus der Seel' die Dunkelheit,
Erfüll' die Welt mit Süßigkeit!

Dich, Jesus, preise unser Mund,
Dein Lob mach' unser Wandel kund,
Dir sei auch unser Herz geweiht
Jetzt und in alle Ewigkeit. Amen.

Hymnus ad sanctum Spiritum.

Veni sancte Spiritus
Et emitte coelitus
Lucis tuae radium.
Veni pater pauperum,
Veni dator munerum,
Veni Lumen cordium.

Consolator optime,
Dulcis hospes animae,
Dulce refrigerium:
In labore requies,
In aestu temperies,
In fletu solatium.

O lux beatissima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.
Sine tuo numine
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.

Preisgesang auf den heil. Geist.

Komm, o heil'ger Geist hernieder!
Komm, entzieh uns deine Güter,
Deines Lichtes Strahlen nicht!
Vater, Dürftige zu laben!
Spender aller guten Gaben!
Schwacher Herzen stärkend Licht!

Tröster Aller, die sich quälen!
Süßer Gast der frommen Seelen!
Angenehme Labungskost!
Nach der Arbeit, Ruhefühlung,
Bei der Hitze, sanfte Kühlung!
In Bekümmernissen Trost!

Wunderschöne Lichtesquelle,
Komm, ergieß dich und erhelle
Unser Herz mit deiner Huld.
Ohne deines Hauches Stärke
Taugen nichts der Menschen Werke;
All' ihr Thun ist eitle Schuld.

Lava, quod est sordidum,
Riga, quod est aridum,
Sana, quod est saucium.
Flecte, quod est rigidum,
Fove, quod est frigidum,
Rege, quod est devium.

Da tuis fidelibus
In te confidentibus
Sacrum septenarium.
Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium. Amen.

Komm, die Flecken abzuwischen,
Dürres Erdreich zu erfrischen;
Heile wo die Wunde schwiert;
Beuge wo Verhärtung waltet;
Wärme wo das Herz erkaltet;
Leite was den Weg verliert.

Gläubigen, die im Vertrauen
Fest auf deine Hülfe bauen,
Gib der sieben Gaben Pfand:
Laß der Tugend, dem Verdienste,
Heil und Freude zum Gewinnste
In des Himmels Vaterland.
Amen. Alleluja.

De septem sancti Spiritus donis.

Veni, o Spiritus sapientiae! instrue cor meum, ut sciam aestimare et amare bona coelestia eaque terrenis omnibus anteponere. Monstra insuper viam, qua illa consequi aeternumque possidere valeam. Pater noster.

Veni, o Spiritus intellectus! illumina mentem, ut omnia salutis mysteria percipiam et amplectar, clareque tandem in lumine tuo lumen aeternum videre plenamque tui Patrisque ac Filii cognitionem obtinere valeam. Amen. Pater noster.

Veni, o Spiritus consilii! assiste mihi in omnibus instabilis vitae hujus negotiis, mentem in bonum inclina et a malo deterre meque per rectum mandatorum tuorum tramitem ad optatam salutis aeternae metam dirige. Amen. Pater noster.

Veni, o Spiritus fortitudinis! da robur cordi meo illudque in omni perturbatione et adversis casibus confirma, virtutemque contra noxios inimicorum meorum conatus largire, ne unquam victus a Deo, optimo maximo, separer. Amen. Pater noster.

Veni, o Spiritus scientiae! fac ut caduca hujus mundi bona eorumque vanitatem perspiciam et contemnam neve aliter iis utar, quam ad tuam unius gloriam meamque salutem, tua vero aeterna praemia omnibus rebus terrenis anteponam. Amen. Pater noster.

Veni, o Spiritus pietatis! cor meum ad veram pietatem et sanctum Domini mei amorem impelle, ut hunc in omni devotione mea semper quaeram et in vera dilectione inveniam. Amen. Pater noster.

Veni, o Spiritus timoris Domini! confige timore tuo carnes

meas, ut provideam te Dominum Deum meum in conspectu meo semper omniaque sollicite caveam, quae purissimis divinae majestatis tuae oculis displicere possunt. Amen. Pater noster.

Litaniae lauretanae.

Kyrie eleison, etc.
Christe audi nos!
Christe exaudi nos!
Pater de coelis Deus, miserere nobis!
Fili, redemptor mundi, Deus, miserere nobis!
Spiritus sancte Deus, miserere nobis!
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis!
Sancta Maria, ora pro nobis!
Sancta Dei genitrix,
Sancta virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,
Mater purissima,
Mater beatissima,
} ora pro nobis!

Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater creatoris,
Mater salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Janua coeli,

ora pro nobis!

Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium christianorum,
Regina angelorum,
Regina patriarcharum,
Regina prophetarum,
Regina apostolorum,
Regina martyrum,
Regina confessorum,
Regina virginum,
Regina sanctorum omnium,
Regina sine labe originali concepta,

} ora pro nobis!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis!
Christe audi nos!
Christe exaudi nos!

Ave Maria.

Oremus.

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper virgo gloriosa et benedicta, domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra; tuo Filio nos reconcilia; tuo Filio nos commenda; tuo Filio nos repraesenta.

V. Ora pro nobis sancta Dei genitrix:

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus, Domine, mentibus nostris infunde, ut qui angelo nuntiante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Hymnus de matre Domini dolorosa.

Stabat mater dolorosa
Juxta crucem lacrimosa
Dum pendebat Filius:
Cujus animam gementem
Contristatam et dolentem
Pertransivit gladius.

O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti!
Quae moerebat et dolebat
Et tremebat, cum videbat
Nati poenas incliti.

Quis est homo, qui non fleret
Christi matrem si videret,
In tanto supplicio!
Quis non posset contristari
Piam matrem contemplari
Dolentem cum Filio?

Pro peccatis suae gentis
Vidit Jesum in tormentis
Et flagellis subditum.

Zur schmerzvollen Mutter des Herrn.

Thränenschauernd, schmerzerstarret
An dem Kreuz die Mutter harret.
D'ran ihr Sohn genagelt hangt;
Durch der Mutterseele Mitten
Hat ein scharfes Schwert geschnitten,
Daß sie tief erseufzt und bangt.

O wie angstvoll, wie bekümmert
Dort die Benedeite wimmert,
Die den Gottessohn gebar!
Welches Wehe, welche Trauer
Da in Pein und Todesschauer
Sie des hohen Sohns nimmt wahr.

Wer könnt' schauen und nicht weinen,
Christi Mutter in den Peinen,
In den Schmerzen sonder Zahl?
Wer könnt' schauen und nicht klagen,
Christi Mutter liebend tragen
Ihres Sohnes herbe Qual?

Für die Sünden Seiner Brüder
Schauet sie, wie Jesu Glieder
Scharfer Geißeln Wucht zerreißt;

Vidit suum dulcem natum,
Morientem, desolatum,
Dum emisit spiritum.

Eja mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris,
Fac, ut tecum lugeam.
Fac, ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum,
Ut ei complaceam.

Sancta mater, illud agas,
Crucifixi infige plagas
Cordi meo valide,
Tui nati, vulnerati,
Tam dignati pro me pati
Poenas mecum divide.

Fac me flere tecum vere
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta crucem tecum stare
Me libenter sociare
In planctu desidero.

Schaut den süßen Sohn verlassen,
Schaut hinsterbend ihn erblassen
Und verathmen seinen Geist.

Ach, o Mutter, Quell der Gnaden,
Woll' auf mich die Schmerzen laden,
Laß mich theilen Deine Noth;
Christi Huld nicht zu verscherzen,
Zünde an in meinem Herzen
Liebesgluth, die ewig loth.

Heil'ge Mutter, thu's zur Stunde,
Drück' in's Herz mir jede Wunde,
Dran für mich am Kreuz er litt;
So viel Plagen wollt' er tragen,
Ließ sich schlagen ohne Klagen;
Theil' mir seine Marter mit.

Laß als Kind mich mit dir weinen,
Dem Gekreuzigten vereinen
All mein Leiden lebenslang;
Möcht' an's Kreuz mit dir mich stellen
Möchte dir mich beigesellen
In des Jammers bitterm Drang.

Virgo virginum praeclara,
Mihi jam non sis amara
Fac me tecum plangere:
Fac ut portem Christi mortem,
Passionis ejus sortem
Et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari
Cruce fac inebriari
Ob amorem filii.
Inflammatus et accensus
Per te, virgo, sim defensus
In die judicii.

Fac me cruce custodiri
Morte Christi praemuniri
Confoveri gratia.
Quando corpus morietur,
Fac, ut animae donetur
Paradisi gloria. Amen.

Jungfrau! herrlich unter allen,
Laß mein Fleh'n dir nicht mißfallen,
Laß mich Klaggenosse sein.
Gib mir Theil an Christi Leiden,
Leg auf's Herz mir Sein Verscheiden,
Präg' mir Seine Wunden ein.

Mach' am Kreuze hingesunken
Mich von Christi Blute trunken,
Und von Seinen Wunden wund.
Daß nicht zu der ew'gen Flamme
Der Gerichtstag mich verdamme,
Sprech' für mich dein reiner Mund.

Laß beschirmt von Kreuzes-Armen
Mich im Schooß der Gnad' erwarmen,
Von des Heilands Tod umhegt;
Und zur Himmelsfreude trage
Meine Seele Du am Tage,
Da den Leib ins Grab man legt.
Amen.

V. Ora pro nobis virgo dolorosissima:

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Interveniat pro nobis, quaesumus Domine Jesu Christe, nunc et in hora mortis nostrae apud tuam clementiam beata virgo Maria, mater tua: cujus sanctam animam hora passionis tuae doloris gladius pertransivit. Per te Jesu Christe, salvator mundi, qui vivis et regnas in saecula. Amen.

Oratio s. Bernardi ad beatam Virginem.

Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua peten-

tem suffragia, esse derelictum. Ego tali animatus confidentia ad te, Virgo virginum, Mater, curro; ad te venio, coram te gemens peccator assisto! Noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi. Amen.

Hymnus ad Mariam auctore sancto Casimiro.

Omni die dic Mariae
Mea laudes anima.
Ejus gesta, ejus festa,
Cole devotissima.

Contemplare et mirare
Ejus celsitudinem.
Dic felicem genitricem
Dic beatam virginem.

Ipsam cole, ut de mole
Criminum te liberet,
Hanc appella, ne procella
Vitiorum superet.

Haec persona nobis dona
Contulit coelestia,
Haec regina nos divina
Illustravit gratia.

Lingua mea, dic trophaea
Virginis puerperae,

Lob Mariens vom heiligen Casimir.

Seele! sage alle Tage
  Hymnen zu Marien's Ruhm;
Ihre Feier sei dir theuer,
  Sei der Andacht Heiligthum.

Zur Beschauung, zur Erbauung
  Blick auf ihre Hoheit hin;
Hold als eine Engelreine,
  Selig als Gebärerin!

Sie verehre, und bekehre
  Dich, durch ihren Schutz beschirmt;
Zu ihr flehe, wenn das Wehe
  Deiner Sünden auf dich stürmt!

Himmelsgaben, die wir haben,
  Sind durch ihre Hand bescheert.
Laßt sie loben! Sie von Oben
  Hat die Gnad' in uns vermehrt.

Zunge! singe Wunderdinge
  Zu der Muttergottes Lob,

Quae inflictum maledictum
Miro transfert germine.

Sine fine dic reginae,
Mundi laudum cantica.
Ejus bona semper sona,
Semper illa praedica.

Omnes mei sensus ei
Personate gloriam,
Frequentate tam beatae
Virginis memoriam.

Nullus certe tam disertae
Exstat eloquentiae,
Qui condignos promat hymnos
Ejus excellentiae.

Omnes laudent, unde gaudent,
Matrem Dei virginem;
Nullus fingat, quod attingat
Ejus celsitudinem.

Sed necesse, quod prodesse
Piis constat mentibus,
Ut intendam, quod impendam
Me ipsius laudibus.

Die, erkoren, den geboren,
Der den Fluch der Menschheit hob!

Zu ihr wende ohne Ende
Deine Dankeslieder laut!
Ihre Tugend hat die Jugend,
Hat das Alter oft erbaut.

Ach! daß meiner Sinne keiner
Sie verehren kann genug!
Laßt mein Denken auf sie lenken,
Die den Welterlöser trug!

Welchen Zungen ist's gelungen,
Auszusprechen in der That,
Was die Zierde ihrer Würde
Heischet und verdienet hat?

Benedeiet, alle freuet
Euch der Mutter unsers Herrn!
Kaltes Singen, schwaches Ringen
Bleibt von ihrer Hoheit fern.

Sie zu preisen sich befleißen,
Ist für fromme Seelen Pflicht;
Ihr im Leben nachzustreben,
Sie zu rühmen, säumet nicht!

Quamvis sciam, quod Mariam
Nemo digne praedicet,
Tamen vanus et insanus
Est, qui illam reticet.

Cujus vita erudita
Disciplina coelica,
Argumenta et figmenta
Destruxit haeretica.

Hujus mores tanquam flores
Exornant ecclesiam,
Actiones et sermones
Miram praestant gratiam.

Evae crimen nobis limen
Paradisi clauserat.
Haec, dum credit et obedit,
Coeli claustra reserat.

Propter Evam homo saevam
Accepit sententiam,
Per Mariam habet viam,
Quae ducit ad patriam.

Haec amanda et laudanda
Cunctis specialiter.

Auf den Knieen kann Marien
Niemand ehren nach Gebühr;
Weh den Armen, zum Erbarmen,
Der gefühllos schweigt von ihr.

Hochgepriesen, unterwiesen
Von dem Himmel selbst herab,
Stürzt im Siege sie die Lüge
Frecher Ketzerei in's Grab.

Anmuthreiche, blumengleiche
Sitten, zu der Kirche Ruhm,
Frommes Handeln, reines Wandeln,
Tugend ist ihr Eigenthum.

Eva's Kinder sind als Sünder
Ausgejagt vom Paradies;
Gottes Willen zu erfüllen,
Fest im Glauben, öffnet sie's.

Der Gerechte am Geschlechte
Straft der ersten Mutter Schuld;
Sein Erbarmen schenkt den Armen
Seiner Mutter wegen Huld.

Tugendtriebe zarter Liebe
Seien ihr von uns geweiht!

Venerari, praedicari
Eam decet jugiter.

Ipsa donet, ut, quod monet
Natus ejus, faciam,
Ut finita carnis vita
Laetus hunc aspiciam.

O cunctarum feminarum
Decus atque gloria,
Quam electam et evectam
Scimus super omnia.

Clemens audi, tuae laudi
Quos instantes conspicis,
Munda reos et fac eos
Donis dignos coelicis.

Virgo Jesse, spes oppressae
Mentis et refugium:
Decus mundi, lux profundi,
Domini sacrarium.

Vitae forma, morum norma,
Plenitudo gratiae,
Dei templum et exemplum
Totius justitiae.

Und in Nöthen zu ihr beten
Wollen wir zu jeder Zeit.

Sie verleihe uns die Weihe,
Ihres Sohn's Gebot zu thun!
Sie wird geben, nach dem Leben
Froh in Gottes Schoß zu ruh'n.

Zier der Frauen! Dich beschauen
Wir in deinem Strahlenkranz.
Wie erhaben deine Gaben,
Deiner Auserwählung Glanz!

Sieh hernieder! Unsre Lieder
Höre an, zu uns gekehrt!
Mache Sünder auch nicht minder
Deiner Himmelsgaben werth!

Jessens Ruthe! Seelengute!
Zuflucht der Verlassenen!
Unerreichte! Helle Leuchte!
Laß das Heiligthum uns seh'n!

Lebenslehre! Sittenehre!
Gnadenschatz dem Herrn geweiht!
Gottes Tempel! Du Exempel
Himmlischer Gerechtigkeit!

Virgo salve, per quam valvae
Coeli patent miseris,
Quam non flexit nec allexit
Fraus serpentis veteris.

Generosa et formosa
David regis filia,
Quam elegit rex, qui regit
Et creavit omnia.

Gemma decens, rosa recens,
Castitatis lilium,
Castum chorum ad polorum
Quae perducis gaudium

Actionis et sermonis
Facultatem tribue,
Ut tuorum meritorum
Laudes promam strennue.

Opto nimis ut imprimis
Des mihi memoriam,
Qua decenter et ferventer
Tuam cantem gloriam.

Quamvis muta et polluta
Mea sciam labia,

Sei gegrüßet! Durch dich fließet
Himmelshuld auf uns herab,
Die zum Glücke sich der Tücke
Jener Schlange nicht ergab.

Des Psalmisten Ahnenlisten
Haben Adel dir geschenkt;
Viel zu wenig! Sieh, der König
Adelt dich, der Alles lenkt.

Schatz von Güte! Rosenblüthe!
Lilie der Enthaltsamkeit!
Keusche Schaaren, nach Gefahren,
Führst du ein zur Herrlichkeit.

Unsre Sprache, unsre Sache
Ordne, wie es dir beliebt,
Wenn ein Jeder in der Lieder
Wettgesang für dich sich übt!

Die Gedanken halt in Schranken,
Leite meiner Sinne Drang,
Daß beständig und lebendig
Dich erhebe mein Gesang.

Dir mißfallend, stumm und lallend,
Ist mein ungeweihter Mund;

Praesumendum nec silendum
Est de tua gloria.

Virgo gaude, omni laude
Digna et praeconio;
Quae damnatis libertatis
Facta es occasio.

Semper munda et foecunda
Virgo tu puerpera,
Mater alma velut palma
Florens et fructifera.

Cujus flore et odore
Recreare cupimus,
Cujus fructu nos a luctu
Liberari credimus.

Pulchra tota sine nota
Cujuscunque maculae.
Fac nos mundos et jucundos
Te laudare sedule.

O beata per quam data
Nova mundi gaudia,
Et aperta fide certa
Regna sunt coelestia.

Doch er spreche! Seine Schwäche
Mache deine Ehre kund!

Hochverehrte! Lobenswerthe!
Deines Vorzugs freue dich!
Die Versühnten, die dir dienten,
Freuen auch der Freiheit sich.

Rein in Ehren, Gott gebären,
Stellt dich über Menschen hoch,
Palmenähnlich, ungewöhnlich
Blühend, aber fruchtbar doch.

Dir zum Ruhme sind der Blume
Wohlgerüche beigesellt;
Dein Geborner hat verlorner
Sünder Freiheit hergestellt.

Ohne Gleichen, frei von Zeichen
Aller auch geringsten Schuld!
Laß auf Erden rein uns werden!
Zeig uns Nachsicht und Geduld!

Himmelssonne! Neue Wonne
Wird durch dich der Welt zu Theil;
Wir erschauen im Vertrauen
Dich, den Weg für unser Heil.

Per te mundus laetabundus
Novo fulget lumine,
Antiquarum tenebrarum
Exutus caligine.

Nunc potentes sunt egentes
Sicut olim dixeras,
Et egeni fiunt pleni,
Ut tu prophetaveras.

Per te morum nunc pravorum
Relinquuntur devia;
Doctrinarum perversarum
Pulsa sunt praestigia.

Mundi luxus atque fluxus
Docuisti spernere,
Deum quaeri, carnem teri,
Vitiis resistere.

Mentis cursum tendi sursum
Pietatis studio,
Corpus angi, motus frangi
Pro coelesti praemio.

Tu portasti inter casti
Ventris claustra Dominum

Durch dich werde unsrer Erde
Aufgethan ein neues Licht!
Es berücke unsre Blicke
Aller Nächte Schatten nicht!

Ausgestoßen sind die Großen,
Wie du ehemals prophezeit;
Und mit Gütern sind die Niedern
Reich begabt zu dieser Zeit.

Loser Sitte freche Tritte
Wenden sich auf bessern Pfad;
Zu bekehren falsche Lehren,
Mutter! hilf mit gutem Rath!

Erdenschätze, eitle Netze,
Hast verachten du gelehrt;
Gott nur suchen, Werken fluchen,
Die das lüstern Fleisch begehrt;

Heilig leben, aufwärts streben,
Nur in Gott ganz selig ruh'n;
Sieg den Sinnen abgewinnen,
Für den Himmel Alles thun.

Du, o Keusche! trugst im Fleische
Deinen Herrn, der Alles schuf,

Redemptorem, ad honorem
Nos reformans pristinum.

Mater facta sed intacta
Genuisti Filium,
Regem regum atque gregum
Creatorem omnium.

Benedicta, per quam victa
Hostis est versutia,
Destitutis spes salutis,
Datur indulgentia.

Benedictus rex invictus,
Cujus mater crederis,
Increatus ex te natus
Nostri salus generis.

Reparatrix, consolatrix
Desperantis animae,
A pressura, quae ventura
Malis est, nos redime.

Pro me pete ut quiete
Sempiterna perfruar,
Ne tormentis comburentis
Stagni miser obruar.

Der gestorben und erworben
  Uns den vorigen Beruf.

Unberührte Mutterzierde!
  Jungfrau, die den Sohn gebar,
Herrn der Mächte und der Knechte,
  Der des Weltalls Schöpfer war!

Heil und Segen! Unterlegen
  Ist durch dich der arge Feind,
Weil den Armen aus Erbarmen
  Hoffnung, Hilf und Heil erscheint.

Lob und Lieder dem Gebieter,
  Dem du reine Mutter bist;
Der auf Erden Mensch wollt' werden,
  Und doch neuerschaffen ist.

Laß in Plagen nicht verzagen,
  Hilfe, Trost und Mittlerin!
Laß für Sünden Gnade finden,
  Wenn ich nah' dem Tode mich.

Hilf mir Bangen, zu gelangen
  In das unvergänglich Licht!
Zu den Flammen mich verdammen
  Wird der strenge Richter nicht.

Quod requiro, quód suspiro,
Mea sana vulnera,
Et da menti te poscenti
Gratiarum munera.

Ut sim castus et modestus,
Dulcis, blandus, sobrius,
Pius, rectus, circumspectus,
Simultatis nescius.

Eruditus et munitus
Divinis eloquiis,
Timoratus et ornatus
Sacris exercitiis.

Cònstans, gravis atque suavis,
Benignus, amabilis,
Simplex, purus et maturus,
Patiens et humilis.

Corde prudens, ore studens
Veritatem dicere,
Malum nolens, deum colens
Pio semper opere.

Esto tutrix et adjutrix
Christiani populi,

Meine Wunden laß gesunden,
Dies ist einzig mein Begehr;
Gib voll Güte dem Gemüthe
Theil an deinem Gnadenmeer;

Daß ich schüchtern, keusch und nüchtern,
Sittsam und behutsam sei,
Stark im Leiden, still, bescheiden,
Redlich, fern von Heuchelei;

Reif an Jahren, gut erfahren
Im Gesetze heil'ger Schrift,
Gott ergeben, fromm im Leben,
Heilig, was den Geist betrifft;

Ohne Wanken, Feind vom Zanken,
Sanft, gefällig, voller Huld,
Wahrheit liebend, Gutes übend,
Stark in Demuth und Geduld;

Klug im Herzen, fern von Scherzen,
Einfach aller Lüge Feind,
Böses wehrend, Gott verehrend,
Thätig und stets Gott vereint!

Sei den Christen, die sich rüsten,
Beistand, Helferin und Schutz!

Pacem praesta, ne molesta
  Nos perturbent saeculi.

Salutaris stella maris
  Summis digna laudibus,
Quae praecellis cunctis stellis
  Atque luminaribus.

Tua dulci prece fulci
  Supplices et refove.
Quidquid gravat vel depravat
  Mentes nostras remove.

Virgo gaude, quod de fraude
  Daemonis nos liberas,
Dum in vera et sincera
  Carne Deum generas.

Illibata et ditata
  Coelesti progenie,
Ex te nata, nec fraudata
  Flore pudicitiae.

Nam, quod eras, perseveras,
  Dum intacta generas,
Illum tractans atque lactans,
  Per quem facta fueras.

Gib den Frieden, und hienieden
  Bieten wir den Feinden Trutz!

Stern! Dein Zeichen soll nicht weichen!
  Dir gebühret alles Lob;
Alle Sterne bleiben ferne,
  Wo sich dein Gestirn erhob.

Sei die Stütze und beschütze
  Uns in Noth zu jeder Zeit!
Was uns drücket und bestricket,
  Treib' von unsern Herzen weit!

Wir erfahren in Gefahren
  Hilfe gegen Feindes Macht,
Weil du, Keusche! hier im Fleische
  Deinen Gott zur Welt gebracht.

Unversehret und beehret
  Mit des Gottessohnes Glanz;
Fruchtbeladen ohne Schaden
  Für der Keuschheit Blüthenkranz.

Du bewahrest, was du warest,
  Du gebärest ohne Mann;
Den du zeugtest, den du säugtest,
  Kennst du selbst als Schöpfer an.

Commendare me dignare
Christo, tuo Filio,
Ut non cadam, sed evadam
De mundi naufragio.
Fac me mitem, pelle litem,
Compesce lasciviam.
Contra crimen da munimem
Et mentis constantiam.
Non me liget, nec fatiget
Saeculi cupiditas,
Quae indurat et obscurat
Mentis sibi subditas.
Nunquam ira, nunquam dira
Me vincat elatio,
Quae multorum fit malorum
Frequenter occasio.
Ora Deum, ut cor meum
Sua servet gratia,
Ne antiquus inimicus
Seminet zizania.
Da levamen et juvamen
Tuum illis jugiter,
Tua festa sive gesta
Qui colunt alacriter. Amen.

Stell dem Sohne, daß er schone,
Deinen Diener flehend vor!
Er in Stürmen kann beschirmen;
Seine Hand hält mich empor.
Laß mich meiden, laß mich leiden,
Laß mich bleiben keusch und rein!
Gib mir Stärke, laß die Werke
Tugendhaft, beständig sein!
Nie soll rühren, nie verführen
Mich Begierlichkeit der Welt,
Die durch Bande eigner Schande
Das Gemüth gefangen hält!
Nie mit Rasen, aufgeblasen,
Will ich sträflich mich vergeh'n;
Böse Thaten, unberathen
Können nur daraus entsteh'n.
Gott vor Allen zu gefallen,
Stärke mich durch dein Gebet;
Mich vom Bösen zu erlösen,
Der oft schädlich Unkraut sä't!
Frommen Seelen laß nicht fehlen
Deinen Beistand jederzeit!
Deine Feste auf das Beste
Sind wir zu begeh'n bereit.

Litania de sancto Aloysio.

Kyrie eleison!
Christe eleison!
Kyrie eleison!
Christe audi nos!
Christe exaudi nos!
Pater de coelis Deus, miserere nobis!
Fili, redemptor mundi, Deus, miserere nobis!
Spiritus sancte Deus, miserere nobis!
Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis!
Sancta Maria, ora pro nobis!
Sancta Dei genitrix,
Sancta virgo virginum,
Sancte Joseph,
Sancte Ignati,
Sancte Francisce Xaveri,
Sancte Stanislae,
Sancte Aloysi,
Amator Dei nobilissime,
Cultor ardentissime Jesu crucifixi,

} ora pro nobis!

Adorator diligentissime sanctissimi sacramenti,
Alumne beatae virginis Mariae,
Contemptor mundi fortissime,
Exemplum pietatis,
Exemplum castitatis,
Exemplum modestiae,
Exemplum sui moderationis,
Amice praecipue orationis et devotionis,
Martyr amoris erga Deum,
Speculum caritatis proximi,
Specimen virtutum nobilissimarum,
Patrone studiosae juventutis,
Patrone animarum poenitentium,
Deprecator omnium, qui te invocant,
In tempore tentationis,
Ad status electionem,
In omnibus vitae nostrae necessitatibus,
Quum ex morbo cubamus,
Quum animam agimus,

} ora pro nobis!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
parce nobis Domine!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
exaudi nos Domine!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
miserere nobis!

Christe, audi nos!
Christe, exaudi nos!

Pater noster. Ave Maria.

V. Ora pro nobis, sancte Aloysi:

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Coelestium donorum distributor Deus, qui in angelico juvene Aloysio miram vitae innocentiam pari cum poenitentia sociasti: ejus meritis et precibus concede, ut, innocentem non secuti, imitemur poenitentem. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Virtutes theologicae.

Actus fidei.

Firma fide credo, te Deum, esse, Unum in essentia, Trinum in personis; credo Filium Dei Jesum Christum incarnatum, passum pro nobis et mortuum, credo te remuneratorem bonorum et vindicem malorum; credo et profiteor, quae symbolo apostolorum continentur et omnia ac singula, quae s. Ecclesia romana catholica mihi credenda proponit, quia tu Deus summa veritas es, qui ea revelasti.

In hac fide et pro hac fide vivere et mori volo.

Actus spei.

Misericordissime Deus, spero per passionem et merita Christi hic tuam gratiam et remissionem peccatorum, posthac vitam aeternam in beatifica tui possessione, quia tu Deus meus omnipotens es et infi-

nite bonus erga nos ac fidelis in promissis.

Actus caritatis.

Amo te, Deus meus, super omnia ex toto corde; amo te propter te et proximum meum propter te, quia in te ipso es summe bonus et ipsa bonitas infinita et ideo dignus, qui ab omnibus ameris. Ament te omnes homines! Laudent te omnes creaturae! Utinam ego, te, Deum meum, plus amem! Vere me poenitet, quod unquam te offendi; jam statuo servare omnia mandata tua. Amen.

Pro conservanda castitate ad beatam virginem.

O sanctissima virgo et mater Domini mei Jesu Christi, mundissimum innocentiae et puritatis exemplum! Firmiter propono mihi, quoad vivam, nullis unquam inhonestis cogitationibus aut desideriis inhae-

rere aut consentire, nec unquam quidquam cogitatione, verbo et opere, vel quovis alio modo facere et permittere, quod castitati adversum intellexero, et haec omnia ad majorem Dei gloriam et animae meae salutem. Te autem, o piissima virgo! ego indignissimus filius per tuam virginitatem rogo, mihi impetres a Filio tuo gratiam et auxilium, ut, quod verbis offero, opere praestem et sincerus semper castitatis et constans pietatis amator exsistam, donec tandem ad coelestem Filii tui sedem admittar! Amen.

Pro eadem ad sanctum Aloysium.

O angelice juvenis, exemplum et patrone studiosorum literarum! Omni conscientiae pudore cumulavit te Deus omnibusque virtutibus, in quibus primo loco ponendae sunt: castitas, obedientia, modestia, quae ex tota vita tua quasi stellae ful-

gidae elucent prae ceteris! Fac me quaeso earumdem virtutum stre-
nuum sectatorem, Deum pro me gratiam implorans, ut neque ten-
tationes mundi et diaboli, neque is, qui seductor me aditurus sit, ani-
mam meam peccatis contaminent. Haud ignorans autem, amator vir-
tutis etiam occasiones fugiat opor-
tere, statuo quam tu instituisti viam insistere et me in omnibus mode-
stum et abhorrentem mala consortia praestare; statuo, neque oculis ne-
que auribus meis facultatem male custoditam videndi et audiendi con-
cedere, quippe quum per visum auditumque mors accedat animae meae! Tuum exemplum mihi ante oculos ponam eique me conformare studebo! Sicuti vero tu omnem spem in Deo collocasti ejusque gratia confisus ad omnia valuisti, ad quae flagrans Dei amor te impellebat: ita et ego ad exequenda ea, quae

mihi proposui, Deum instanter imploro, ut me roboret et idoneum faciat, qui te imiter tuas aemulando virtutes. Quum autem oratio mea minus grata sit apud Deum, peto a te, angelice juvenis, ut intercedas pro me, ut meas orationes Deo offeras, ut tuis meritis interpositis id mihi impetres, quod impetraturum me peccatorem sperare vix audeo. Esto mihi deprecator peccatorum, impetrator gratiarum, custos meus et comes per arduam, quae ad coelum ducit, viam. Amen.

Oratio animae poenitentis.

O quantum gemere debeo, quum praeteritam vitam meam considerem et offensas contra te, Dominum et Deum meum, commissas recordor! Heu quomodo sic datus sum malae voluntati, quomodo sic excoecari potui et in tantam incidere dementiam, ut innocentiam exuendo

iniquitatem induerim, et creatorem meum deserendo diabolo adhaeserim! Sciebam et intelligebam, vitam esse et mortem ante oculos meos, bonum et malum, poenam gloriamque, et cum liberum arbitrium haberem, elegendi horum alterum, elegi tamquam fatuus et iniquus mortem, malum et poenam! Et quum a nemine cogi possem, tamen, quid agerem haud ignorans, peccatum admisi, suggestionibus inimicorum meorum consensum praebui, primitias juventutis meae Deo debitas ad eorum voluntatem direxi, nullum peccantem, licet a peccatis retrahere potuerim, retrahere volui, imo ad peccandum verbis aut factis alios impuli, multisque ad vitia exemplis malis meis viam monstravi! Quo diutius tu Deus me sustinuisti, eo duriore fui animo et erecta cervice in te exsurrexi. Fides in me mortua fuit propter operum

bonorum defectum; inspirationes conscientiae meae neglexi, quae vero saluti meae contraria erant, libenter suscepi! Ecce, bone Jesu, qualiter dies juventutis meae expendi! Ecce, quibus in rebus studium meum consumpsi, in quibus laboravi, cum quibus amicitiam inii, quae dilexi, quibus te spreto obedivi! Non habeo, quid dicam, quid respondeam, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens: sed tu, Domine Jesu Christe, a cujus misericordia spes mea et salus dependet, qui tempus vivendi mihi tribuisti, tempus et gratiam quoque poenitenti et emendanti mihi misero misericorditer concedere digneris, quoniam benignus et misericors tu es et non vis mortem peccatoris, sed vitam. Memor esto, Domine, quod creator meus es tu, et ego creatura tua! Ne perdas opus tuum propter peccata mea! tu es redem-

ptor meus et salvator: salva igitur me peccatorem per gratiam tuam, quem damnare potes per justitiam. Ecce in sola misericordia tua, Domine, confido et peccatorum remissionem a tua bonitate deprecor! Da poenitenti veniam et noli secundum mea vitia ferre sententiam, sed sicut tua misericordia principium vitae meae praevenit, sic finem ejusdem concludat et mecum perpetuo maneat. Amen.

Pro rege et magistratibus.

Omnipotens, aeterne Deus et Dominus dominantium! A te potestates sublimiores et imperantes in terra nobis in bonum ordinatae sunt, quibus subditos esse nos et pro quarum salute obsecrationes ad te fieri jubes, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni castitate et pietate: imploro clementiam tuam pro rege nostro N. om-

nique familia ejus et pro magistratibus. Salvos fac servos tuos sperantes in te! Da, ut quo altiorem locum prae ceteris tenent, eo majora virtutum omnium percipiant incrementa, quibus decenter ornati, mala quaecunque devitare, in medium consulere, negotiorum onus facilius sustinere et meritorum pleni ad te feliciter pervenire valeant.

Mittas, quaeso, principi et omnibus, qui a consiliis ejus sunt, sedium tuarum assistricem sapientiam, per quam reges regnant et legum conditores justa decernunt, ut probe intelligant, tuos se esse ministros et reddituros tibi regiminis sui rationem; ut discernant bonum inter se et malum, ut regant populum tuum in justitia et pauperes tuos in aequitate, patriaeque salus pia eorum sollicitudine nostraque obedientia in honorem nominis tui concordi fervore promoveatur.

Per Christum Dominum nostrum. Amen.

De parentibus, magistris, benefactoribus.

Deus, cujus primum in promissione praeceptum est: „*Honora patrem tuum et matrem tuam,*“ benigne excipies suspiria et vota, quae pro salute parentum meorum et qui horum loco mihi sunt, magistrorum et benefactorum meorum tibi offero. Hos itaque praeprimis tibi commendatos velim! Redde iis beneficia, quae te donante in me conferre non desinunt. Da iis salutem mentis et corporis, ut inter omnes vitae hujus varietates tuo semper protegantur auxilio et digne ambulantes ad gloriam coelestem pervenire mereantur. Doce et conforta eos, ut vitam et mores meos bonis praeceptis imbuant optimisque exemplis ad virtutem forment;

meque ipsum dirige, ne, quos praeesse mihi vis et quibus tot me titulis obstrictum profiteor, iis pietatem, reverentiam et obedientiam filialem unquam denegem, sed dignum semper illorum cura et bonitate me exhibeam, omnisque conversatio mea ita comparata sit, ut solatium, honorem et gaudium uberrimum ipsis offe'am. Amen.

Pro fidelibus defunctis.

Ecclesiae tuae caritas, Deus, arctis hujus vitae limitibus non continetur, sed ultra sepulchrum porrigitur eorumque meminit, qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis; et quemadmodum ipsa beatorum tuorum precibus juvari cupit, ita piis suffragiis suum in eos studium testatur, qui perfectae beatitudinis nondum sunt participes. Placeat tibi pietas haec communionem san-

ctorum recolens, quia ipse dixisti, sanctam et salubrem cogitationem esse, pro defunctis exorare, ut a peccatis salventur. Supplices igitur, Domine, pro animabus defunctorum preces effundimus, obsecrantes, ut, si quae eis maculae de terrennis contagiis adhaeserunt, remissionis tuae misericordia deleantur, et quibus fidei christianae meritum contulisti, dones et praemium eosque in pacis ac lucis regione constituas et sanctorum tuorum jubeas esse consortes.

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper virgine intercedente cum omnibus sanctis tuis ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium Deus omnium conditor

ac redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum, quas de hoc saeculo migrare jussisti, remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Jube eas a sanctis angelis suscipi et ad patriam paradisi perduci. Da illis refrigerii sedem nosque eas in aeternae claritatis gaudio fac videre. Amen.

Pater noster etc.

V. Requiem aeternam dona eis Domine:

R. Et lux perpetua luceat eis.

V. Requiescant in pace.

R. Amen.

Canticum de extremo judicio.

Dies irae dies illa
Solvet saeclum in favilla
Teste David cum Sibilla.

Quantus tremor est futurus,
Quando judex est venturus
Cuncta stricte discussurus!

Tuba mirum spargens sonum
Per sepulcra regionum
Coget omnes ante thronum.

Mors stupebit et natura
Cum resurget creatura
Judicanti responsura.

Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.

Judex ergo cum sedebit,
Quidquid latet, apparebit,
Nil inultum remanebit.

Das jüngste Gericht.

Tag des Zornes, Tag der Sünden,
Wirst das Weltall einst entzünden,
Wie Sibyll und David künden.

Welch Entsetzen wird da walten,
Wenn der Richter kommt, zu schalten,
Streng mit uns Gericht zu halten.

Die Posaun' im Wundertone
Sprengt die Gräber jeder Zone,
Fordert Alle hin zum Throne.

Tod und Leben werden beben,
Wann die Todten sich erheben,
Antwort vor dem Herrn zu geben.

Und ein Buch wird aufgeschlagen,
Da ist Alles eingetragen,
Welt, daraus dich zu verklagen.

Sitzt der Richter dann und richtet,
Wird, was dunkel ist, gelichtet,
Keine Schuld bleibt ungeschlichtet.

Quid sum miser tum dicturus,
Quem patronum rogaturus,
Quum vix justus sit securus?

Rex tremendae majestatis,
Qui salvandos salvas gratis,
Salva me, fons pietatis!

Recordare, Jesu pie,
Quod sum causa tuae viae:
Ne me perdas ille die

Quaerens me sedisti lassus,
Redemisti, crucem passus,
Tantus labor non sit cassus!

Juste judex ultionis
Donum fac remissionis
Ante diem rationis!

Ingemisco tanquam reus,
Culpa rubet vultus meus,
Supplicanti parce Deus!

Qui Mariam absolvisti
Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti.

Ach, was werd ich Armer sagen,
Welchen Schutz und Rath erfragen,
Da Gerechte selber zagen?

König furchtbar hoch erhaben,
Frei sind Deiner Gnade Gaben,
Wolle Gnadenbronn mich laben!

Milder Jesu, denk in Gnaden,
Ziel einst war ich Deinen Pfaden:
Wend an jenem Tag den Schaden.

Bist, mich suchend, müd gegangen,
Mir zur Sühn am Kreuz gehangen,
Laß solch Mühen Frucht erlangen.

Richter der gerechten Rache
Uebe Gnad' in meiner Sache,
Eh' der Rache Tag erwache.

Als ein Sünder seufz' ich lange,
Röthlich färbt mir Schuld die Wange,
Schone, Gott, ich flehe bange.

Der Du einst vergabst Marien
Und dem Räuber hast verziehen,
Hast auch Hoffnung mir verliehen.

Preces meae non sunt dignae,
Sed tu bonus fac benigne,
Ne perenni cremer igne.

Inter oves locum praesta
Et ab hoedis me sequestra,
Statuens in parte dextra.

Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.

Oro supplex et acclinis,
Cor contritum quasi cinis,
Gere curam mei finis.

Lacrimosa dies illa,
Qua resurget ex favilla
Judicandus homo reus,

Huic ergo parce Deus!
Pie Jesu, Domine,
Dona eis requiem. Amen.

V. A porta inferi:

R. Erue, Domine, animas eorum!

R. Requiescant in pace.

Amen.

Zwar nicht würdig ist mein Flehen,
Doch laß Huld an mir geschehen,
Daß der Höll' ich mag entgehen.

Bei den Schafen Platz bereite,
Und mich von den Böcken scheide,
Stellend mich zur rechten Seite.

Stürzen hin die Maledeiten,
Die dem Flammentod Geweihten,
Ruf mich mit den Benedeiten.

Mit zerknirschtem Herzen wende
Flehend ich zu Dir die Hände;
Trage Sorge für mein Ende.

Thränenreich der Tag wird werden,
Da der sünd'ge Mensch der Erden
Zum Gerichte wird ersteigen.

Woll', o Gott, Erbarmen zeigen,
Jesu, Deiner Huld gedenke,
Ew'ge Ruhe ihnen schenke. Amen.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, miserere famulorum famularumque tuarum et gratiam, quam a te per Christum speraverunt, remissis peccatis ipsorum propitius tribue, ne in judicio cum eis contendas, ne aeternis cruciatibus eos adjudices, sed eos tecum in sempiternam quietem recipias, ubi ea omnia feliciter percipiant, quae hic firmiter crediderunt. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Psalmi poenitentiales

cum litaniis omnium sanctorum.

Psalmus 6. Domine, ne in furore tuo arguas me: * neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum; * sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: * sed tu Domine usque quo?

Convertere Domine et eripe animam meam: * salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: * in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: * lacrimis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: * inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: * quoniam Dominus exaudivit vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: * Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbenter vehementer omnes inimici mei: * convertantur et erubescant valde velociter.

Gloria Patri etc.

Psalm. 131. Beati, quorum remissae sunt iniquitates: * et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: * nec est in spiritus ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea: * dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: * con-

versus sum in aerumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: * et injustitiam meam non abscondi.

Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino: * et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus: * in tempore opportuno.

Verum tamen in diluvio aquarum multarum: * ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me: * exultatio mea, erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo et instruam te in via hac, qua gradieris: * firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus: * quibus non est intellectus.

In camo et froeno maxillas eorum

constringe: * qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: * sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Laetamini in Domino et exultate justi: * et gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri etc.

Psalm 37. Domine, ne in furore tuo arguas me: * neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi: * et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae: * non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum: * et sicut onus grave gravatae sunt super me.

Putruerunt et corruptae sunt

cicatrices meae: * a facie insipientiae meae.

Miser factus sum et curvatus sum usque in finem: * tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: * et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum et humiliatus sum nimis: * rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum: * et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: * et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum.

Amici mei et proximi mei: * adversum me appropinquaverunt et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt: * et vim faciebant, qui quaerebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: * et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam: * et sicut mutus non aperiens os suum.

Et tactus sum sicut homo non audiens: * et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te, Domine, speravi: * tu exaudies me, Domine, Deus meus.

Quoniam dixi. nequando supergaudeant mihi inimici mei: * et, dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagello paratus sum: * et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: * et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt et confirmati sunt super me: * et

multiplicati sunt, qui oderunt me, inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: * quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: * ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum: * Domine Deus salutis meae.

Gloria Patri etc.

Psalm. 50. Miserere mei Deus: * secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: * et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: * et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: * ut justificeris in

sermonibus tuis et vincas, cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: * et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: * incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: * lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: * et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: * et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: * et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: * et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris

tui: * et Spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: * et impii ad te convertentur.

Libera me de sanpuinibus Deus, Deus salutis meae: * et exaltabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies: * et os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam, si voluisses sacrificium, dedissem utique: * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: * cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: * ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes et holocausta: * tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri etc.

Psalm. 101. Domine exaudi orationem meam: * et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me: * in quaque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te: * velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei: * et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut foenum, et aruit cor meum: * quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei: * adhaesit os meum carni meae.

Similis factus sum pellicano solitudinis: * factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi: * et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobabant mihi inimici mei: * et qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam: * et potum meum cum fletu miscebam.

A facie irae et indignationis tuae: * quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt: * et ego sicut foenum arui.

Tu autem, Domine, in aeternum permanes: * et memoriale tuum in generationem et generationem.

Tu exurgens misereberis Sion: * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus: * et terrae ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum, Domine: * et omnes reges terrae gloriam tuam.

Quia aedificavit Dominus Sion: * et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium: * et non sprevit precem eorum.

Scribantur haec in generatione

altera: * et populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo: * Dominus de coelo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum: * ut solveret filios interemtorum.

Ut annuncient in Sion nomen Domini: * et laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum: * et reges ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suae: * paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum: * in generationem et generationem anni tui.

Initio, tu, Domine, terram fundasti: * et opera manuum tuarum sunt coeli

Ipsi peribunt, tu autem permanes: * et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur: * tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt: * et semen eorum in saeculum dirigetur.

Gloria Patri etc.

Psalm. 129. De profundis clamavi ad te Domine: * Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: * in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris Domine: * Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: * et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: * et copiosa apud eum redemtio.
Et ipse redimet Israel: * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri etc.

Psalm. 142. Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: * exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo: * quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: * humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi: * et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, mediatus sum in omnibus operibus tuis: * in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: * anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: * defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: * et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: * quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: * quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: * doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in aequitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: * et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant

animam meam: * quoniam ego servus tuus sum.
Gloria Patri etc.

Litania de omnibus sanctis.

Kyrie eleison!
Christe eleison!
Kyrie eleison!
Christe audi nos!
Christe exaudi nos!
Pater de coelis Deus, miserere nobis!
Fili redemtor mundi Deus, miserere nobis!
Spiritus sancte, Deus, miserere nobis!
Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis!
Sancta Maria, ora pro nobis!
Sancta Dei genitrix, ora pro nobis!
Sancta virgo virginum, ora pro nobis!
Sancte Michaël, ora pro nobis!
Sancte Gabriel, ora pro nobis!
Omnes sancti angeli et archangeli, orate pro nobis!

Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate pro nobis!

Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis!

Sancte Joseph, ora pro nobis!

Omnes sancti patriarchae et prophetae, orate pro nobis!

Sancte Petre, ora pro nobis!
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomaee,
Sancte Matthaee,
Sancte Simon,
Sancte Thaddaee,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,

} ora pro nobis!

Omnes sancti apostoli et evangelistae, orate pro nobis!
Omnes sancti discipuli Domini, orate pro nobis!
Omnes sancti innocentes, orate pro nobis!
Sancte Stephane, ora pro nobis!
Sancte Laurenti, ora pro nobis!
Sancte Vincenti ora pro nobis!
Sancti Fabiane et Sebastiane, orate pro nobis!
Sancti Joannes et Paule, orate pro nobis!
Sancti Cosma et Damiane, orate pro nobis!
Sancti Gervasi et Protasi, orate pro nobis!
Omnes sancti martyres, orate pro nobis!
Sancte Sylvester, ora pro nobis!
Sancte Gregori, ora pro nobis!
Sancte Ambrosi, ora pro nobis!
Sancte Augustine, ora pro nobis!
Sancte Hieronyme, ora pro nobis!

Sancte Martine, ora pro nobis!
Sancte Nicolaë, ora pro nobis!
Omnes sancti pontifices et confessores orate pro nobis!
Omnes sancti doctores, orate pro nobis!
Sancte Antoni, ora pro nobis!
Sancte Benedicte, ora pro nobis!
Sancte Bernarde, ora pro nobis!
Sancte Dominice, ora pro nobis!
Sancte Francisce, ora pro nobis!
Omnes sancti sacerdotes et levitae, orate pro nobis!
Omnes sancti monachi et eremitae, orate pro nobis!
Sancta Maria Magdalena, ora pro nobis!

Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Caecilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
} ora pro nobis!

Omnes sanctae virgines et viduae, orate pro nobis!
Omnes sancti et sanctae Dei, intercedite pro noois!
Propitius esto! Parce nobis, Domine!
Propitius esto! Exaudi nos, Domine!
Ab omni malo, libera nos, Domine!

Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A subitanea et improvisa morte,
Ab insidiis diaboli;
Ab ira et odio et omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgure et tempestate,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctae incarnationis tuae,
Per adventum tuum,
Per nativitatem tuam,
Per baptismum et sanctum jejunium tuum,

} libera nos, Domine!

Per crucem et passionem tuam, libera nos, Domine!
Per sanctam resurrectionem tuam, libera nos, Domine!
Per admirabilem ascensionem tuam, libera nos, Domine!
Per adventum Spiritus sancti Paracliti, libera nos, Domine!
In die judicii, libera nos, Domine!
Peccatores, te rogamus, audi nos!
Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris,
Ut ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris.
Ut Dominum apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,
Ut inimicos sanctae ecclesiae humiliare digneris,
Ut regibus et principibus chri-
} te rogamus, audi nos!

stianis pacem et veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri digneris,
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris,
Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias,
Ut fructus terrae dare et conservare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,
Fili Dei,

te rogamus, audi nos!

Agnus Dei, qui tollis etc.
Christe audi nos! Christe exaudi nos! Pater noster etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem:

R. Sed libera nos a malo.

Psalmus 69. Deus in adjutorium meum intende: * Domine ad adjuvandum me festina.

Confundantur et revereantur: * qui quaerunt animam meam.

Avertantur retrorsum et erubescant: * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes: * qui dicunt mihi, euge, euge.

Exultent et laetentur in te omnes, qui quaerunt te, et dicant semper, magnificetur Dominus: * qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum: * Deus adjuva me.

Adjutor meus et liberator meus es tu: * Domine ne moreris.

Gloria Patri etc.
V. Salvos fac servos tuos:
R. Deus meus sperantes in te.
V. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis:
R. A facie inimici.
V. Nihil proficiat inimicus in nobis:
R. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
V. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis:
R. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.
V. Oremus pro pontifice nostro N.
R. Domiuus conservet eum et vivificet eum et beatum faciat eum in terra et non tradat eum in animam inimicorum ejus.
V. Oremus pro benefactoribus nostris:
R. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus

propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

V. Oremus pro fidelibus defunctis:

R. Requiem aeteream dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

V. Requiescant in pace.

R. Amen.

V. Pro fratribus nostris absentibus:

R. Salvos fac servos tuos Deus meus sperantes in te.

V. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto:

R. Et de Sion tuere eos.

V. Domine exaudi orationem meam:

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, cui proprium est, misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos et omnes famulos tuos, quos delicto-

rum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus, Domine, supplicum preces et confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos et a peccatis omnibus exuas et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens, sempiterne Deus, miserere famulo tuo pontifici nostro N. et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae, ut te donante tibi placita cupiat et tota virtute perficiat.

Deus, a quo sancta desideria,

recta consilia et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita et hostium sublata formidine tempora sint tua protectione tranquilla.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium conditor et redemtor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur.

Omnipotens, sempiterne Deus,

qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis: te supplices exoramus, ut, pro quibus effundere preces decrevimus quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum etc.

V. Domine, exaudi orationem meam:

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.

R. Amen.

V. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

R. Amen.

Officium immaculatae Conceptionis

Beatae Virginis Mariae.

Ad Matutinum.

V. Eja labia mea nunc annuntiate:

R. Laudes et praeconia Virginis immaculatae!

V. Domina, in adjutorium meum intende:

R. Me de manu hostium potenter defende.

Gloria Patri etc.

Hymnus.

Salve, mundi domina,
Coelitum regina;
Salve, virgo virginum,
Stella matutina:

Ab aeterno Dominus
Te praeordinavit

Matrem unigeniti
Verbi, quo creavit
Terram, pontum, aethera.
Pulchram te ornavit
Sibi sponsam, macula
Nulla quam foedavit.

V. Elegit eam Dominus et praeelegit eam:
R. In tabernaculo suo habitare fecit eam.
V. Domina protege orationem meam:
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Sancta Maria, regina coelorum, Mater Domini nostri Jesu Christi et mundi domina, quae nullum derelinquis, et nullum despicis, respice me, domina, clementer oculo tuae pietatis et impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum, ut, qui nunc

tuam sanctam et immaculatam conceptionem devoto affectu recolo, aeternae futurum beatitudinis bravium capiam, ipso, quem virgo peperisti, donante Domino nostro, Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

V. Domina protege orationem meam:

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias

V. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

R. Amen.

Ad Primam.

V. Domina, in adjutorium meum intende:

R. Me de manu hostium potenter defende.

Gloria Patri etc.

Hymnus.

Salve virgo florida,
Mater illibata,
Domina clementiae,
Stellis coronata.

Omnibus prae angelis
Gratia ornata
Et ad regis dexteram
Veste stans aurata.

Per te, mater gratiae,
- Dulcis spes reorum,
Stella maris fulgida,
Portus naufragorum,

Patens coeli janua,
Salus infirmorum.
Regem regum videam
In aula sanctorum. Amen.

V. Oleum effusum, Maria, nomen tuum:

R. Servi tui dilexerunt te nimis.

V. Domina protege etc. ut supra.

V. Domina protege orationem meam:

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio ad omnes Horas ut ad Matutinum.

Ad Tertiam.

V. Domina, in adjutorium meum intende:

R. Me de manu hostium potenter defende.

Gloria Patri etc.

Hymnus.

Salve arca foederis,
Thronus Salomonis,
Arcus pulcher aetheris,
Rubus visionis.

Virga frondens germinis,
Velus Gedeonis,
Porta clausa numinis,
Favus et Samsonis.

Decuit tam nobilem
Quam gignebas prolem,
Ut a te averteret
Omnem culpae molem,

Ut ne, ubi strueret
Verbum Caro aedem,
Prius ibi figeret
Daemon sibi sedem.

V. Ego in altissimis habito:
R. Et thronus meus in columna nubis.
V. Domina protege etc. ut supra.

Ad Sextam.

V. Domina, in adjutorium meum intende:
R. Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri etc.

Hymnus.

Salve, o puerpera
Virgo, Trinitatis

Templum, coeli gaudium,
Cella puritatis.

Tristibus solatium,
Hortus voluptatis,
Palma patientiae,
Cedrus castitatis.

Terra benedicta es,
Et sacerdotalis,
Sancta, munda, libera
A peccati malis.

Civitas altissimi,
Patens coeli porta,
Per quam omnis gratia
Nobis est exorta.

V. Sicut lilium inter spinas:

R. Sic amica mea inter filias Adae.

V. Domina protege etc. ut supra.

Ad Nonam.

V. Domina, in adjutorium meum intende:

R. Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri etc.

Hymnus.

Salve urbs refugii
Turrisque munita
David et fortissimis
Armis insignita.

In conceptione gratiis
Plena jam fuisti,
Et serpentis inferi
Caput contrivisti.

O invicta mulier,
Gloriosa Judith!
Holofernis stygii
Fastum quae confudit.

Peperit Aegyptiis
Rachel curatorem;
Sed Maria genuit
Mundi salvatorem.

V. Tota pulchra es, amica mea:

R. Et macula originalis nunquam fuit in te.
V. Domina protege etc. ut supra.

Ad Vesperas.

V. Domina, in adjutorium meum intende:
R. Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri etc.

Hymnus.

Salve horologium,
In quo decem gradus
Sol divinus rediit,
Deus incarnatus.

Ad summa ab inferis
Homo ut tollatur,
Immensus ab angelis
Paulo minoratur:

Solis hujus radiis
Maria coruscas,

Lucis ut praenuntia
In conceptu micas.
Lunam pulchritudine
Vincis plenam luce:
Tuta sit errantibus
Semita te duce.

V. Ego feci in coelis, ut oriretur lumen indeficiens:
R. Et quasi nebula texi omnem terram.
V. Domina protege etc. ut supra.

Ad Completorium.

V. Convertat nos, domina, tuis precibus placatus Jesus Christus, Filius tuus:
R. Et avertat iram suam a nobis.
V. Domina in adjutorium meum intende:
R. Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri etc.

Hymnus.

Salve virgo sapiens,
Deo consecrata
Domus et virgineo
Thalamo ornata.

Omni a contagio
Mundi praeservata,
In materno utero
Jam sanctificata.

Mater es viventium
Portaque sanctorum;
Stella Jacob, domina
Salve angelorum.

Daemoni terribilis
Acies castrorum,
Portus et refugium
Esto peccatorum.

V. Ipse creavit illam in Spiritu sancto:

R. Et exaltavit illam inter omnia opera sua.

Commendatio.

Supplices offerimus
Tibi, virgo pia,
Haec laudum praeconia.
Fac, ut nos in via
Cursu ducas prospero,
Et in agonia
Nobis para gratiam,
O dulcis Maria Amen.

Antiphon. Haec est virga, in qua nec nodus originalis nec cortex actualis culpae fuit.

V. In conceptione tua, virgo, immaculata fuisti:

R. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.

Oratio.

Deus, qui per immaculatam virginis conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti, quaesumus, ut sicut ex morte ejusdem Filii tui praevisa eam ab omni

labe praeservasti, ita nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per Dominum etc.

Immaculata beatae Mariae conceptio:

Sit nobis salus et protectio.

Tres orationes ad lucrandas indulgentias.

Si lucrandae sint indulgentiae, non sufficit confessio et communio, sed insuper necesse est, ut illam ecclesiam, in qua sunt indulgentiae, visites ibique pro felici statu s. romanae Ecclesiae etc exores: quod his tribus vel aliis similibus orationibus facere poteris.

Oratio prima pro Ecclesia.

Benignissime Domine Jesu Christe, qui sanctam Ecclesiam tuam in sponsam elegisti eamque tanto dilexisti amore, ut vitam et sanguinem tuum pro ea perfuderis: rogamus clementiam tuam, ut eandem pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum. Aspice, Jesu clementissime, quam pertinaciter ab hostibus oppugnetur! Aspice, quam violenta rabie portae inferi adversus eam consurgant! Ne, quaeso, permittas, ut adversus eam praevaleant: sed

defende et conserva eam in magnitudine brachii tui. Intuere etiam, Jesu piissime, quam negligenter et indecore divina tua officia peragantur, quam sacer cultus tuus jaceat quamque exigua scientia Dei sit in terra. Mitte igitur ferventes et indefessos operarios in messem tuam, qui eam excolant, promoveant et in horrea tua congregent. Concede etiam universis fidelibus tuis, ut ecclesiae tuae sanctae obediant ejusque praecepta servent et in omni bono de die in diem ad majorem tui nominis gloriam proficiant. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

Oratio secunda pro exstirpatione haeresium.

Piissime Domine Jesu Christe, verum lumen ad illuminationem gentium, obsecramus clementiam tuam, ut respicias super interitu

tot animarum, quae fraude serpentis antiqui et deceptione haereticorum in profundas errorum tenebras inciderunt! O misericordissime Jesu, estne possibile, quod miseràs illas animas, pretiosissimo sanguine tuo redemtas, a Satana decipi ejusque potestati subdi patiaris! Estne possibile, quod in dies tot miserandas animas defectu verae fidei in abyssum inferni detrudi permittas! Recordare, o Christe Jesu, quot laboriosa itinera pro salute earum susceperis quotque vulnera et plagas in redemtione earum acceperis! Rogamus igitur per virtutem amarissimae passionis et mortis tuae, ut execrandas illas haereses funditus extinguere atque indurata haereticorum corda ad veram fidem convertere digneris. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

Oratio tertia pro concordia principum.

Dulcissime Jesu, auctor et amator unitatis et pacis, rogamus clementiam tuam, ut omnibus principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris, ut ecclesia tua tranquilla semper devotione laetetur. Recordare, Jesu pie, quam multus et innoxius sanguis per continuam bellorum tempestatem effundatur! Aspice, quam multi in extremas córporis et animae angustias dejiciantur! Ah, Jesu amantissime, qui pacem semper summe amasti eamque discipulis tuis toties commendasti: rogamus te per ineffabilem cordis tui amorem, ut reges et principes christianos pacificare et arctissimo concordiae vinculo colligare digneris: ut plebs tua in quiete et pace gubernari in tuoque sancto servitio confortari et

conservari mereatur. Quod nobis praestare digneris per infinitam misericordiam et bonitatem tuam. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

Ad hanc intentionem etiam utiliter dici possunt litaniae omnium sanctorum cum precibus vel Rosarium.

Ad studia.

Cum maximam diei partem studiosus studendo consumat sitque haec potissima illius occupatio, videndum, ne qua pars temporis studiis impensa sine merito elabatur. Unde intentio et invocatio numinis praecedat, est necesse. Illam formare poteris similibus affectibus: *Amore tui, mi Deus, studebo, vel, ad majorem Dei gloriam studebo.* Tum flexis genibus sequentes vel similes persolvendo preces, Deum, a quo omnis sapientia emanat, invoca.

Preces,

dicendae in principio scholarum et studiorum.

Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende, qui per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei congregasti.

V. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur:

R. Et renovabis faciem terrae.

V. Domine exaudi orationem meam:

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

V. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

R. Amen.

Oratio s. Thomae Aquinatis.

Creator ineffabilis, qui de thesauris sapientiae tuae tres angelorum hierarchias annotasti et eas super coelum miro ordine collocasti atque elegantissime per partes

universi distribuisti: tu, inquam, qui verus fons luminis et sapientiae diceris atque supereminens principium, infundere digneris super intellectus mei tenebras tuae radium claritatis, duplices, in quas natus sum, a me removens tenebras, peccatum et ignorantiam. Qui linguas infantium facis esse disertas, linguam meam erudias atque labiis meis gratiam tuae benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatem, addiscendi facilitatem, loquendi gratiam copiosam, ingressum instrue, progressum dirige, egressum comple. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Meminisse autem debes, tuum esse, non utcunque, sed diligentissime studere. Nam, si negligenter studes, strictissimam Deo rationem reddes: primum quidem de memoriae, ingenii caeterisque animi ornamentis ac dotibus: deinde de tempore et

de tot annis in studiis literarum consumtis. Nam, ut ait s. Bernardus ad scholares: *Sicut capillus de capite, sic nec momentum peribit de tempore.* Et idem ita monet: *Omne tempus impensum a nobis exigetur, qualiter sit impensum.*

Praeterea, quid respondebis de tot ac tantis tuorum parentum sumptibus, quos in te collocant? qui, quam sibi quasi sanguineo labore compararunt pecuniam, ad te impendunt. Ut taceam de molestissimis laboribus, curis, vigiliis, jactura interdum sanitatis et vitae tuorum praeceptorum, qui in instituendo te tot annos laborarunt.

Denique, si constituisset Deus, quandoquidem diligenter studueris, in eo te vitae genere collocare, a quo et tua, et aliorum plurimorum salus dependeat: nonne, si negligenter studes, et te ipsum tali statu indignum exhibes et ad lucra tot animarum capienda te reddis ineptum? Cogita non tam arbitrarium, quam necessarium esse, te in studia literarum diligentissime incumbere, nisi velis ejici in tenebras exteriores cum illo servo pigro et nequam, qui commissum sibi a Deo talentum, ex quo lucra et proventus facere debebat, in terram defodit.

Observanda inter eundum ad scholam.

Primum praeceptum est, ut ad scholam eundo modestiam totius corporis ac praesertim oculorum observes, ut quicumque te vident, agnoscant, te non modo literarum, sed virtutis etiam et verecundiae esse studiosum.

Alterum: ut obvios quosque reverenter, verbis honorificis et caput detegendo salutes; senes praesertim et pauperes, quia omnes sunt creati ad imaginem Dei et Christi sanguine redempti, quae duo sola in hominibus amanda et honoranda sunt. Non minus religiose faciunt illi, qui angelos custodes eorum, quos obvios sibi habeant, venerantur, uti solebat facere religiosissimus juvenis Joannes Berchmannus.

Observanda in schola.

Gratum te Deo exhibebis, si consuetas preces in initio et in fine scholae devote dixeris. Item, si inter scholasticas occupationes suaviter ad Deum mentem elevaveris, sumta occasione vel ex adspectu piae alicujus imaginis vel ex auditu rei cujusdam spiritualis. Quo pertinent aptae jaculatoriae orationes, quibus adjungi possunt sequentes:

Propter te, Domine, studeo.

O! quando te perfecte cognoscam et amabo, mi Deus!

Mater Dei! memento mei.

Da mihi tuam, sancte Aloysi, innocentiam.

Quid prodest haec vel illa bona scire, et non facere?

Qui sic pietatem literis conjungunt, dubium non est, quin ipsis Christus in schola assideat, sicut assedisse se s. Edmundo confessus est.

Decorem pium servabis, si praeceptorem debito interno amore externoque honore prosequutus fueris, et condiscipulos congrua humanitate praeveneris. Clamare, cachinnari, irridere caeteros aut conviciis lacessere, scurrarum est, non ingenuorum adolescentum.

Attentus eris, si ad ea, quae agenda sunt, totum animum et omnem cogitationem traduces atque ineptas confabulationes et garritiones excludes. Nihil enim adeo attentionem impedit, literario profectui magis adversatur et ad justam indignationem provocat docentem, quam garrulitas.

Refectio corporis.

Sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite, monet apostolus.

Ne igitur comede aut bibe, quia sapit, hoc enim pecudum est; sed ut vires ad Dei servitium reficias.

Praemitte attentam et ferventem benedictionem refectionis. Hoc modo:

„Benedic Domine nos et haec tua dona, quae de tua largitate sumus sumpturi per Christum Dominum nostrum.“ Pater noster etc.

Inter assidendum ne te totum super cibos aut potum effunde; sed vel auditu lectionis vel memoria coelestis convivii, in quo beati inebriantur ab ubertate domus Dei, vel utili honestoque colloquio mentem occupa. Sed cave, ne cui detrahas aut quid inhonestum effutias.

S. Augustinus portae triclinii hos versus inscripserat:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Quem imitatus quidam cubiculi ostio inscripsit:

Qui mihi futilibus pretiosas temporis horas
Conteret colloquiis, hic meus hostis erit.

Pro refectione Deo age gratias, qui aperuit manum suam et tibi escam dedit in tempore opportuno. Brevissima gratiarum actio est sequens:

Agimus tibi gratias. omnipotens Deus, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

A mensa remittendus erit animus aliquantulo tempore, idque vel honesto lusu vel suavi corporis commotione vel manuum opere vel disputatione vel decenti collocutione, quod etiam diebus recreationum tibi servandum. Quod ad colloquium attinet, vide, ne cum malis sociis verseris, memor illius moniti: *Cum sancto sanctus eris, cum perverso perverteris.*

Aliorum dicta, ne carpas, ne contemnas, ne interrumpas, quasi rem melius teneas, ne male interpreteris. Ex eodem flosculo virus aranea, mel apis sugit.

Ne fueris morosus, mordax, detractor, gesticulator, sed esto hilaris, non levis, jucundus, non sordidus. Quin si sordidior quispiam simile aliquid ingerit, hunc tu cave, fuge vel fuga.

Neminem indecenti vocabulo compellabis. Si cum indoctis agis, orare, confiteri, sacrum audire pie eos doce.

De Deo, ut monet s. Bonaventura, *libenter loquere et libentius audi; quia incitat cor ad studium virtutis et affectum devotionis. Felix lingua,* ait s. Hieronymus, *quae nihil novit, nisi de divinis texere sermones.*

U. J. O. G. D.

